CASPARI COMMELIN M. D.

& Horti Medici Amſtelædamenſis Botanici

PRÆLUDIA BOTANICA

AD

Publicas Plantarum Exoticarum

demonſtrationes,

DICTA IN HORTO MEDICO,

Cum demonſtrationes exoticarum 3 Octobris 1701, & 29 Maji 1702. ex auctoritate Nobiliſſimorum & Ampliſſimorum D. Conſulum auſpicaretur.

HIS ACCEDUNT

PLANTARUM & EXOTICARUM,

in præludiis Botanicis recenſitarum,

ICONES & DESCRIPTIONES.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOH. DU VIVIE, MDCCXV.

CASPARI COMMELIN, M. D.

& Horti Medici Amplissimi Praefecti

PRAELUDIA BOTANICA

AD

Philippi Miquelii Exercitationes

Botanicas Parisiensis,

DICTA IN HORTO MEDICO,

Cum Demonstrationibus Stirpium Officinalis Typis, & 29 Maji

Ipso, ex Autographo Notissimorum & Amplissimorum

D. Gerardum van Oosterdijk.

HIS ACCEDUNT

PLANTARUM & EXOTICARUM,

Praesertim Fructifera Genera Illustrantium,

ICONES & DESCRIPTIONES.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud J. O. H. DE VIVIE, MDCCXV.

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

ET

GRAVISSIMIS VIRIS

D. NICOLAO WITSEN J. U. D.

D. JOANNI HUDDE.

D. THEODORO BAS J. U. D.

D. GERBRANDO PANCRAS J. U. D.

Horti Medici Curatori.

AMSTELÆDAMENSIS

REIPUBLICÆ CONSULIBUS.

NEC NON

NOBILISSIMIS AMPLISSIMIS

ET

PRUDENTISSIMIS VIRIS

D. FRANCISCO DE VROEDE J. U. D.

Viro Consulari.

D. JOANNI HUYDECOOPER

A MAARSEVEEN J. U. D.

Scabino.

HORTI MEDICI AMSTELÆDAMENSIS

CURATORIBUS,

DOMINIS SUIS ET MÆCENATIBUS

PERPETUUM VENERANDIS

HÆC SUA

PRÆLUDIA BOTANICA

EA, QUA DECET, REVERENTIA

D. D. D.

CASPARUS COMMELIN.

LECTORI BOTANOPHILO

S. D. P.

CASPARUS COMMELIN.

BIennium eſt, Lector Benevole, quod partem alteram horti Amſtelædamenſis plantarum exoticarum feraciſſimam tecum communicaverim, a quo tempore de edendo catalogo cogitanti, accidit, ut Nobiliſſ. & Ampliſſimorum D. Conſulum auctoritate lectiones Plantarum exoticarum publicas habendi mihi demandata ſit provincia, quæ hactenus in horto medico habitæ fuerant nullæ, ut, quemadmodum bis

ſingula hebdomade Clar. Fredericus Ruyſchius Botanices Profeſſor ſtirpes communi gaudentes ſolo, earumque uſum medicum Auditoribus ſuis publice demonſtrat, ita & ego lectionem ſtirpium exoticarum geminam haberem, quas ſtatim, anni 1701 autumno & præteritæ æſtatis initio auſpicaturus non absre fore putavi, ſi & utilitatem demonſtrationum culturæque exoticarum; methodum, qua ipſas eſſem habiturus; & ſtudii Botanici jucunditatem in præliminio proponerem, cum in primis hiſce demonſtrationibus variæ ſe obtulerint nec deſcriptæ nec ab aliis aut ſaltem paucis viſæ aut cognitæ plantæ, hæcce noſtra præludia una cum rariorum & exoticarum iconibus & deſcriptionibus tecum L. B. communicare volui, tum ut hæcce noſtra præludia tanquam prodromus forent edendi catalogi, tum ut hiſce iconibus & deſcriptionibus exoticæ illæ non deſ-

crip-

criptæ, & in præludiis recenſitæ Botanophylis ſimul innoteſcerent, quæ in tantam copiam excreverunt in horto medico, ut fidem fere omnem ſuperet; teſtes ſunt illi, qui me præterita æſtate exoticas in horto medico demonſtrantem audivere; teſtes, ut de aliis taceam multæ illæ diverſæque Aloes ſpecies, quas in præludiis indigitavi, & quæ numerum quadrageſimum quartum excedunt, quantum vel in hortorum catalogis, vel ipſis etiam editis Botanicorum libris fruſtra quæres, continet enim Horti Lugduno Batavi catalogus quinque Aloes ſpecies, Beaumontiani ſeptendecim; Tournefortius in ſua inſtitutione rei herbariæ quatuordecim, & Pluckenetius in ſuo almageſto botanico viginti & quinque recenſent, ſed quis uno eodemque tempore tot Aloes ſpecies continens demonſtrari poſſit hortus, me latet: hæ autem non ſolum numero, ſed florum

quo-

quoque elegantia ſe commendant, duodecim enim, quod mireris Lector, diverſæ ſpecies omnes in horto medico floruerunt, quarum aliæ odoris fragrantia, aliæ coloris elegantia, aliæ ſcapi flores ſuſtentantis altitudine maxime inſignes fuere; cæterum quid in hiſce mihi agendum conſtituerim indicavi, utrum veto perfecerim tibi judicandum L. B. relinquo. Vale, & totius horti catalogum a me exſpecta.

Dabam Amſtelædami
XIV. Kalend. Februarii MDCCIII.

CAS-

CASPARI COMMELIN M: D:

& Horti Medici Amſtelædamenſis Botanici

PRÆLUDIA BOTANICA

AD

Publicas plantarum exoticarum Demonſtrationes.

QUum mihi Nobiliſſimorum & Ampliſſimorum Conſulum auctoritate ſingulis diebus Lunæ & Mercurii publicas plantarum exoticarum lectiones habendi demandata ſit provincia, non abs re fore putavi, Auditores eruditiſſimi, ſi, priuſquam has ipſas aggrediar, harum utilitatem & methodum, qua ipſas ſum habiturus, breviter proponerem; utilitatem, ut nemo ſibi perſuaderet, harum culturam & demonſtrationes eſſe inutiles, aut pompæ magis & ornamento, quam utilitati accommodatas;

methodum, ut hac ipsa eo felicius cum auditoribus meis mentem meam possem communicare, & hi ipsi uberiores ex ea colligere valerent fructus.

Utilitatem illas in se continere maximam nemo ibit inficias, qui ex Hippocratis, Dioscoridis, Plinii, Galeni, aliorumque Veterum scriptis sibi fructum pollicetur unquam, hi enim, cum regionibus ab hac nostra longe remotis vixerunt & medicinam fecerunt, dubio procul omni simplicia descripserunt plurima, eorumque virtutes nobis reliquerunt descriptas, quorum nullum nostra fert tellus, præterquam quod & hi ipsi plurimis usi fuerint medicamentis, quorum loca natalia nec illi ipsi viderunt, hæc cum ita sint, Auditores, quam nobis, quæso, horum omnium a Veteribus descriptorum & in usum receptorum simplicium cognitionem pollicemur, nisi illorum notitiam inter exoticas æque ac indigenas quæramus? hujus assertionis veritatem præterito seculo doctissimorum ingenia & lucubrationes satis superque evicerunt, qui investigandis tam indigenis quam exoticis, iisque colendis & colligendis tantam simplicium medicamentorum a Veteribus descriptorum copiam detexerunt, cum orbe literato commu-

nica-

nicarunt, atque adeo rei medicæ emolumentum non exiguum attulerunt, ut nos posteri maximam habeamus causam, de qua nobismet ipsis possumus gratulari, nos, inquam, felicioribus illis temporibus vivere, quibus plurima invenimus detecta, & ansam habemus cætera hactenus incognita tractu temporis detegendi amplissimam. Nolim jam, Auditores, putetis me longa verborum argumentorumque serie probaturum medico scientiam & cognitionem plantarum esse utilem & necessariam, quum ego neminem vestrum existimem, qui de hujus rei veritate dubitat; e quibus omnibus quid aliud sequitur? quam exoticarum plantarum culturam summæ esse utilitatis, quia hac neglecta nullam in nobis exoticarum a Veteribus in usum receptarum ideam formare possumus, nescimus enim, an illa attributa, quibus Veteres sua simplicia descripserunt & designarunt, plantis illis competant, quæ tanquam legitimæ & a Veteribus descriptæ sæpe ac multum nobis obtruduntur, exoticæ è contrario ubi colantur, illasque nobis continuo videre, & ad examen revocare, hoc est cum Veterum scriptis conferre liceat, nosmet ipsos plantarum legitimarum a Veteribus descriptarum certiores facere possumus,

cujus ſpecimen ſtatim exhibebo: e quibus omnibus & quid aliud, inquam, ſequitur? Quam & exoticarum plantarum demonſtrationes maxime utiles futuras, præſertim, quum in iis demonſtrandis mihi propoſui utilitatis aut virtutis, ſi quam exoticarum nonnullæ habeant, aut a Veteribus fuerint deſcriptæ, non obliviſci, quod agentes utile miſcebimus dulci, & diverſas e quatuor totius orbis partibus in hunc unum hortum delatas videntes, cogimur ſuapte Ampliſſimorum hujus civitatis Procerum propenſam erga rempublicam medicam voluntatem prædicare, cum iis Proceribus Ampliſſimis placuerit hunc hortum immenſum ad publicum bonum & utilitatem magnis ſumptibus extruere, & indies augere, fore ut eundem mirentur Incolæ, laudibus extollant Advenæ, teſtis eſt inter Botanicos noſtri temporis facile Princeps Jacobus Breynius Gedanenſis, qui, poſteaquam Batavorum hortos, (& præcipue hunc & Lugdunenſem, quos omnium optime inſtructos recenſet) inviſerat, in ſecundo ſuo faſciculi plantarum exoticarum prodromo exclamare cogitur, ſe ſub primum hortorum ingreſſum cum ſtupore ibi theatrum plantarum inuſitatæ cujuſdam amœnitatis conſpexiſſe, atque

que an in Indiam an Americam esset delatus, dubium hæsisse ac incertum, tot eximia oculos ejus afficiebant objecta, quia a mundi conditi exordio in illum usque diem tanto plantarum exoticarum thesauro Europa nunquam se jactaverat, quanto tunc temporis Hollandia ditata erat, qui si nunc temporis in vivis foret, quam copiam plantarum suo tempore nec visarum nec notarum ex utroque orbe & Africa in hunc hortum delatam non cerneret? non possumus itaque, Auditores, nisi erga divinum Numen simus ingrati, summi Creatoris in hisce ordinandis & producendis omnibus sapientiam & omnipotentiam non admirari & revereri, bonitatem non prædicare, dum harum multas in usum mortalium, habita ratione incolarum diversorumque morborum endemiorum, creatas atque productas videmus, hujus veritatis pleni sunt libri, plenæ sapientum voces, & si quis dubitet hunc Barbari docebunt. Hactenus de utilitate, nunc pauca de methodo.

Nolite, Auditores, dum methodum mihi in demonstrandis exoticis servandam sim propositurus, a me exspectare, ut aliorum methodum multis refellam, ut Dalecampium, qui plantas per loca natalia disposuit; ut Parkinsonium, qui a plan-

tarum viribus & facultatibus earum classes desumpsit; ut Beslerum, Horti Eysstettensis auctorem, qui per quatuor anni tempora suas plantas digessit; ut Matthiolum & alios, qui a foliorum similitudine plantas ad eandem classem reduxerunt, ut hos, inquam, omnes multis argumentis mala usos fuisse methodo ostendam, refutationis loco hæc satis superque a Morisono & aliis demonstrata dixisse sufficiet.

Methodum quod attinet, quam mihi in demonstrandis exoticis servandam proposui, hæc est, ut quotiescumque genus aliquod sim expositurus, relicta tamdiu specierum enumeratione, illius notas proponam characteristicas, quæ illi generi duntaxat nec alteri conveniunt, quæ omnibus & singulis ejus speciebus competunt, nec ab iis, nisi vim ipsi naturæ velimus inferre, possunt divelli, quibus propositis, species ejusdem generis recensebo: hac nisi utamur methodo, proficiemus nihil, & mea quidem sententia actum est de scientia Botanica, & illam, quæ admodum jucunda & utilis est, quæ hac methodo facilior redditur, odiosam, inutilem, & scientiarum omnium difficillimam reddemus.

Notæ, quæ vocantur characteristicæ, a

solis

ſolis florum ſeminum aut capſularum figura & numero deſumendæ veniunt, ab his ſi deſumantur, facile ſimiles a diſſimilibus ſeparari, & cum ſimilibus velut in faſciculos colligi poſſunt: plantæ autem, quæ ejuſdem ſunt generis inter ſe tamen ſigno quodam ſingulari, ab externa facie deſumpto, differant neceſſe eſt, etiamſi ſpecies ejuſdem generis ob characterem generi proprium appellentur, exempli gratia plantæ omnes, quæ *Geranii* nomine innoteſcunt ſunt plurimæ, & notis ſuis characteriſticis, quod ſint *pentapetalæ*, *rariſſime tetrapetalæ*, *quinque capſulares & pentacoccæ*, *& quarum capſulæ ſeminales in mucronem inſtar ciconiæ roſtri longiſſimum exeunt*, ſub eodem comprehenduntur genere, ſed nota tamen ab externa facie deſumpta differant neceſſe eſt, ita ſpecies ejus ſunt vel *Aquilegiæ*, *Ibiſci*, *Alchimillæ*, *Coriandri*, *Staphydis agriæ*, *Aſari*, *Myrrhidis*, *Aſtragali* & ſic porro foliis; ex hoc allato geranii exemplo quid aliud ſequitur, Auditores? Quam externam faciem in generibus conſtituendis utilitatem in ſe continere vel exiguam vel potius nullam: hæc ut paulo clarius innoteſcant, ſciendum, a pleriſque Botanicis verticillatarum claſſem, quæ plu-

plurima genera in ſe continet, hac præcipua nota ab aliis quibuſvis claſſibus diſtingui, quod folia gerat ex adverſo caulem amplectentia bina, (non diviſa intelligite, Auditores, aut diverſa quaſi folia uni pediculo ex utroque latere cauli amplectentia, cum talis planta verticillata ante tres quatuorve annos apparuerat nulla) exprientia tamen ſumus edocti paucis ab hinc annis e Canaria plantam eſſe allatam, quæ triphylla exiſtit, ſeu tria quaſi folia in eodem gerit pediculo, quem capite quadrageſimo primo alterius partis horti Amſtelædamenſis nomine *Cedronellæ canarienſis viſcoſæ foliis plerumque ex eodem pediculo ternis* deſcripſi: quis Botanicorum unquam cogitaſſet futuram Geranii ſpeciem foliis conjugatis? niſi illa præterito anno è ſeminibus africanis enata coleretur in horto. Hæc quæ de methodo mihi ſervanda paucis præfari præceperam, plura ſi quis deſideret, doctiſſimos adeat Tournefortium, Rivinum, Rajum, Hermannum, aliosque.

Audiviſtis jam, Auditores, qua methodo lectiones ſum habiturus; audiviſtis utilitatem, quæ in hiſce continebitur, quid aliud nunc reſtat? quam ut & utilitatis & methodi ſpeciem ex-

exhibeam; inquiramus itaque primo in unico duntaxat ſubjecto, quid plantarum cultura & demonſtrationes afferant emolumenti, quid utilitatis, & ſpeciminis loco perſcrutemur, quid verum *Antiquorum Euphorbium*, videamuſque num illud in hoc horto colatur.

Quæ ſit illa planta verum *Antiquorum Euphorbium* fundens, in eo non conveniunt auctores, Dodonæus plantam pro *Euphorbio* propoſuit, ejuſque iconem & deſcriptionem exhibuit, quem ſequitur Cl: Hermannus, & Cl: Commentatores in partem primam hujus horti Ruyſchius & Kiggelarius: Lobelius plantam pro *Euphorbio* obtrudit, quæ *Cerei* eſt ſpecies, hunc nemo ſequitur: Clar: Rajus, Dale, Breynius, Pluckenetius & Patruus *Scadida-calli* Malabarorum verum eſſe *Antiquorum Euphorbium* exiſtimant; plures aliæ etiam plantæ exiſtunt, & in hoc horto coluntur, quæ ſuccum inſtar *Euphorbii* fundunt, atque hinc etiam *Euphorbia* vocari poſſent: Videamus itaque, priuſquam inquiramus, quid verum ſit *Veterum Euphorbium*, plantas illas, quæ talem de ſe ſuccum fundunt, ut eo clarius vobis omnibus & ſingulis, quæ vera ſit, pateat, & omnis dubitandi anſa auferatur.

Primo loco nobis occurrit illa, quæ a Malabarensibus vocatur *Scadida-calli* & hoc nomine horti Malabarici parte secunda innotescit, *Euphorbii Antiquorum veri* titulo in notis ad eundem hortum, & in descriptionibus & iconibus horti Amstelædamensis a Patruo meo, & a Rajo in historia sua plantarum describitur.

Secundo loco sese offert illa, quæ a Zeylonensibus *Sadri* & *Sandri-Calli* & â Breynio *Euphorbio similis* vocatur, & a nemine, quod scio, describitur.

Tertia est illa planta, quæ in eodem horto Malabarico nomine *Ela-Calli* proponitur, & in horto Amstelædamensi nomine *Tithymali Indici arborescentis spinosi nerii folio* a Patruo describitur.

Quarta nova est species, & ab *Ela-Calli* differt, quod tota sit angulosa, atque hinc a me *Tithymalus aizoides arborescens spinosus caule angulari nerii folio* vocatur.

Quinta est, quæ *Tiru-Calli* a Malabarensibus, & *Tithymalus Indicus frutescens* a Rajo & Patruo vocatur, atque hoc nomine cum prima & tertia loco citato describitur.

Sexta quintæ simillima est, & in eo duntaxat differt a præcedenti, quod in arborem nunquam excrescat, cætera conveniunt omnia.

Septima

Septima eſt illa, quæ a Dodonæo pro *Euphorbium fundente planta* proponitur, & ab eodem in pemptadibus, ac Patruo in horto Amſtelædamenſi deſcribitur.

Octava eſt, quæ *Tithymalus aizoides fruticoſus canarienſis quadrangularis* vocatur, & a me in altera parte horti Amſtelædamenſis, capite centeſimo quarto deſcribitur.

Nona eſt quæ *Tithymali forte genus, planta Lactaria Africana, pini fructuum facie* a Breynio in utroque ſuo prodromo vocatur, & in Primo, ut & in horto Amſtelædamenſi a Patruo deſcribitur.

Decima hæc nova etiam eſt planta & a me *Tithymalus aizoidis Africanus ſimplici ſquamato caule* vocatur.

Undecima hæc hactenus etiam incognita eſt planta & mihi nomine *Tithymali aizoidis Africani ſimplici ſquamato caule chamænerii folio* innoteſcit.

Duodecima hæc nova etiam & non deſcripta, quam voco *Tithymalum Africanum aizoidem validiſſimis ſpinis ex tuberculorum internodiis provenientibus.*

Has plantas omnes cum ſynonimiis ſuis & homonimiis ſtatim ipſius Methodi ſpecimen ex-

hibiturus proponam; ut nunc itaque ad ipsius *Euphorbium Veterum* fundentis plantæ inquisitionem accedam, videndum est primo quid de eo Veteres nobis reliquerunt descriptum, & quibus attributis vera *Euphorbii* planta in Veterum scriptis innotescat, & deinde an harum statim demonstratarum ulli ea competant.

Dioscorides, Plinius & Galenus omnium Veterum primi plantæ *Euphorbium* fundentis meminerunt, eam quodammodo descripserunt, illiusque succi virtutem nobis reliquerunt descriptam; Dioscorides inquit arborem esse nascentem in monte Tmolo Mauriſianorum; Plinius Acanthinis foliis spectari ait; Galenus Rajo teste arborem spinosam refert, quarum omnium plantarum (quas modo indigitavi, aut quæ hactenus ab ullo Botanico sunt descriptæ) nulli hæc allata attributa magis conveniunt, quam illi, quæ *Scadida-Calli* a Malabarensibus, ut dixi, vocatur, est enim arbor & in arboris excrescit altitudinem, spinosa est, & ejus folia juniora non inepte cum portione foliorum Acanthi comparari possunt, addamus denique, quod frusta ipsius *Scadida-Calli* inter *Euphorbium* Patruo e Barbaria sint allata, & quod ipse *Scadida-Calli* plurimas capsulas seminales inter

gum-

gummi invenerit, & harum aliquas cum Clariſſimo Breynio communicaverit, ut in ſecundo ipſius Breynii Prodromo videre licet; nec obſtat *Scadida-Calli* in Malabaria creſcere, *Euphorbium* e Barbaria in Europam transvehi, nam nullus dubito, quin etiam in Barbaria creſcat; hoc vel ex eo liquet, quod ejus fruſta & fructus ſeu capſulæ ſeminales inter gummi ex Barbaria ſint allata, denique conſtat experientia regiones calidiores longe diſſitas eaſdem producere plantas, Aſia enim & America eaſdem magna ſatis quantitate producunt plantarum ſpecies, atque hæc cauſa eſt cur Clar: Samuel a Dale in ſua pharmacologia *Euphorbium* æque in India Orientali ac Mauritania provenire ait. Denique ſi vires & facultates medicas conſideremus, illæ erunt eædem.

Euphorbium Veterum magna cum vehementia purgat, quare ejus uſus internus non admodum ſecurus eſt, & non niſi hydropicis robuſtioribus concedi poteſt, valide enim pituitam, validius aquam educit, ut Actuarius & Aetius, teſte Matthiolo, concordes aſſeverant, externe linimentis, quibus lumbricis laborantium abdomen illinitur, adjungitur, & prodeſt coxendicum doloribus, ut Dioſcorides inquit: ita

etiam *Scadida-Calli* Malabarenſium externe applicatum necat vermes, intus ſumptum valide purgat, & in doloribus Podagræ juvat. E quibus omnibus quid aliud ſequitur, Auditores, quam hoc *Scadida-Calli* inter has omnes plurima poſſidere attributa, quæ ipſi *Antiquorum Euphorbium* fundenti plantæ competunt, hoc eſt, *Scadida-Calli* illam ipſam eſſe plantam, quæ Veterum fundit *Euphorbium?* Quis, inquam, mortalium hujus plantæ cognitionem ſibi auſus fuiſſet polliceri? cum illa, nunc arbor a Dioſcoride, Spinoſa a Galeno, & Acanthinis foliiis a Plinio ſpectari dicatur, niſi illa in hortis coleretur, nam deſcriptiones, quæ etiamſi contradictionem includant nullam, & ſimul veræ eſſe poſſint, vix tamen ſui cognitionis participes lectores ſuos futuros pollicentur; nos autem, qui jam ejus attributa audivimus omnia, quibus a Veteribus deſcribitur, quæ omnia huic uni Malabarorum *Scadida-Calli*, nullique alteri plantæ competere vidimus, certo poſſumus concludere *Scadida-Calli* plantam eſſe fundentem *Veterum Euphorbium*, etiamſi vel maxime Clar: Etmullerus plantam omnibus Botanicis incognitam ſcribat, & in eo diſſentire auctores, an *arbor*, an *frutex*,

an

an *Ferula ſit*, ſed quinam? recentiores crediderim, qui ab omni plantarum exoticarum cultura & inveſtigatione quam longiſſime abeſſe malunt, quam in iis vera Veterum ſimplicia quærere & invenire; ſcio equidem *fruticem* dicat a Dioſcoride, ſed quis Veterum *fruticem* dicat inveni neminem, ſcio & hoc quod ſecundum Dioſcoridem *Ferulæ* ſpeciem habeat, ſed quid inde? quam quod inſtar ſtipitis *Ferulæ* in altum erigatur, ſingulis enim annis pleræque *Ferularum* ſpecies ſcapum producunt humanam altitudinem longe ſuperantem, quare non inepte a Dioſcoride dictum puto, quod *Euphorbium Ferulæ* ſpeciem habeat, nec hic Dioſcoridis locus ullam in nobis dubitandi anſam excitare valet, nemo enim ſibi perſuadeat Dioſcoridem his verbis *Euphorbium Ferulæ* ſpeciem dixiſſe, cum locus ille nihil aliud in ſe contineat, quam quod ſtatim dixi, *Euphorbium* nimirum in altum inſtar *Ferulæ* flores & ſemina producturæ erigi, & ſi vel maxime hoc demus Dioſcoridem *Euphorbium Ferulæ* ſpeciem dixiſſe, illud modo dictis non refragatur, nam e quibus, quæſo, principiis *Ferulæ* ſpeciem dixit *Euphorbium*? è notis characteriſticis a fructificatione deſumptis? hoc nemo ſibi perſuadeat, dum harum nunquam

quam Veteres meminerint: an e viribus & facultatibus? nec hoc aliquis putet, cum ſi vires *Euphorbii*, & *Ferulæ* ſpecierum ex ipſo Dioſcoride petantur, quam longe differant unicuique facile patebit: ſed fortaſſe è ſucco, qui recens in *Ferularum* ſpeciebus etiam albicat, ſuas notas deſumpſit? nec hoc ſibi quiſquam imaginetur, cum, ſi a ſucco lacteo *Ferulæ* ſpeciem dixiſſet, etiam *Scammonei*, *Apocyni & Tithymali* (cujus multas ſpecies libro quarto recenſet, & cujus ſpeciem ſummo jure *Euphorbium* dixiſſet) ejus ſpeciem ut habeat neceſſe ſit: an a facie aut ſimilitudine quadam externa *Ferulæ* ſpeciem dixit *Euphorbium*, ejuſque notas collegit? ne hoc quidem, cum nulla hactenus *Ferulæ* ſpecies ſit nota, aut innotuit, quæ ſpinoſa, quod tamen etiam *Euphorbii* attributum eſt præcipuum: patet itaque evidentiſſime omnibus objectionibus repulſis plantam hanc verum Antiquorum *Euphorbium* fundere: ſed cui, quæſo, uſui, cui bono hæc omnia, dum *Euphorbium*, qui hodie utuntur medici, diſtinctiſſimum ſit a Veterum *Euphorbio*, ut Etmullerus in collegio ſuo pharmaceutico in Schroderum notat? dicam, quod, ſi vel maxime verum foret hodiernum a Veterum *Euphorbio* differre, illud

tamen

tamen eſſet utilitatis, ut ſcilicet nota illa Veterum *Euphorbium* fundente planta, facile nos etiam verum ſuccum, qui plantæ loca natalia noſcimus, nobis poſſimus comparare: dein neſcio, quo jure hoc dicit Etmullerus, quia *Euphorbium* hodiernum omnia attributa poſſidet, quæ illi adſcripſit Dioſcorides, eſt enim orobi magnitudine, qualia plurima ejus grana ſunt, translucens, ſi a pulvere externo grana purgentur, acre & cum levi guſtu os accenſum diu detinet.

Demonſtrata genuina Antiquorum *Euphorbium* fundente planta, nihil jam aliud ſupereſt, quam ut breviter dicam hallucinari Cl: a Dale, qui tres diverſiſſimas earumque nomina tanquam ſynonima in ſua pharmacologia confundit, nam *Scadida-Calli*, *Euphorbium Dodonæi* & *Tithymalus Africanus Spinoſus cerei effigie ex codice Comptoniano Plukenetii* una ipſi eademque videtur planta, quæ tamen tres plantæ ſunt toto cælo diverſiſſimæ. Hactenus utilitatis, nunc methodi, quam mihi ſervandam in demonſtrandis exoticis propoſui, ſpecimen daturus, genera, quæ fructum gerunt tricoccum, explicabo, & breviter, quibus a ſe invicem queant diſtingui notis characteriſticis, demonſtrabo, earumque ſpecies exoticas recenſebo.

Plantæ *tricoccæ* a Botanicis dicuntur, quarum fructus ſeu capſulæ ſeminales tribus diſtinguuntur loculamentis, ſingulis unicum duntaxat ſemen continentibus, ita de *monococco*, *tetracocco* & *pentacocco* intelligendum.

Genera, quæ *tricocca* dicuntur, & quæ in hoc horto coluntur, ſunt vel *Tithymalus*, *Ricinus*, *Paliurus*, *Chamælea*, *Tithymaloides*, *Ricinoides*, *Alaternoides*, *Acriviola* ſeu *Naſturtium Indicum*, & *Cor Indum* ſeu *Halicacabum*.

Tithymali ſpecies omnes flores habent vel tetra vel pentapetaloideos, quæ tetrapetaloideos gerunt flores, hos folia gemina perianthii loco circumſtant, quæ pentapetaloideos producunt, illæ omnes ſunt ſucculentæ, ſempervirent, & *aizoides* aut *Euphorbia* a rei herbariæ peritis vocantur, omnes tamen hæ plantæ tanta affinitate conjunguntur, ut ab invicem ſeparari ullo modo nequeant, hos flores fructus ſive capſula ſeminalis ſequitur tribus loculamentis totidem ſemina continens, his notis addi poteſt omnes *Tithymalorum* ſpecies, quacumque parte vulnerentur, ſuccum fundere copioſum & lacteum.

Ricini florem habent apetalum, hoc eſt, imperfectum, plurimis ſcilicet ſtaminibus ex calyce

ce ſurgentibus conſtantem, ſed ſterilem, embryones a floribus in eadem planta ſejuncti in fructum abeunt tribus cavitatibus totidem ſemina continentem.

Paliurus florem gerit pentapetalum, ſeu, ut Tournefortius amat, roſaceum, cujus piſtillum abit in fructum clypeiformem, qui intus oſſiculum occultat, quod tribus loculamentis diſtinctis totidem nucleos ſeu ſemina continet.

Chamælea florem habet tripetaloideum, cujus piſtillum in fructum mutatur tricoccum ex tribus oſſibus totidem nucleos continentibus compoſitum, fructus tamen unus alterve apparet aliquando in hac planta tetracoccus.

Tithymaloides florem habent monopetalum calceolum quendam referentem, cujus piſtillum abit in fructum tricoccum.

Ricinoidis genus cum *Tithymaloidis* genere his nominibus omnium primus propoſuit Cl. Tournefortius, florem habent *Ricinoides* roſaceum, hoc eſt, qui petalis conſtat plus quatuor in orbem poſitis, fructum gerunt in tres capſulas totidem ſemina continentem, & per maturitatem fiſſilem.

Alaternoides vocantur, quæ flore gaudent pentapetaloideo, fructum gerunt tricoccum,

fronde gaudent perpetua, & lac fundunt nullum.

Acriviola, quæ & *Cardamindum*, *Viola acris*, *Violæ affinis* & *Nasturtium Indicum* vocatur, florem gerit violæ æmulum calcare donatum, hunc sequitur fructus rugosus per maturitatem a se invicem secedens, qui tribus thecis tria continet semina.

Cor. Indum seu *Halicacabum peregrinum* florem producit polypetalum, quem fructus sequitur folliculatus, trigonus, tribus membranis intermediis in tres cavitates divisus, quæ singulæ semen continent unicum.

Species *Tithymalorum* sunt plurimæ, multæ in horto coluntur, nunc autem eas duntaxat, quæ exoticæ dicuntur, quæ in communi solo non crescunt, sed hybernaculis & hypocaustis seruantur, & primo illas, quæ *aizoides* & *Euphorbia* vocantur, demonstrabo. Primo loco sese offert.

Tithymalus aizoides fruticosus Canariensis aphyllus, quadrangularis, & quinqueangularis spinis geminis aduncis atro nitentibus armatus. Hort. Amst. Part. 2. 207. *Tithymalus aizoides lactifluus, seu Euphorbia Canariensis quadrilatera & quinquelatera cerei effigie, ad angulos per crebra intervalla spinis rectis atro-*

niten-

nitentibus, gaſellæ cornua referentibus, armata Pluckenet. Phytogr. Tab. 320. Fig. 3. *Tithymalus quadrangularis ſpinoſus, ſeu ſpinis geminis aduncis ex eadem ſede ortis armatus, ſucco lacteo acerrimo turgidus.* Kiggelarii Hort. Beaumont. 41.

Tithymalus aizoides triangularis nodoſus & ſpinoſus lacte turgens acri. Pluckenet. Almageſt. Botanic. 370. *Tithymalus indicus ſpinoſus & anguloſus lacte turgens acri* Kiggelarii Hort. Beaum. 41. *Euphorbium Indicum Opuntiæ facie, caule geniculato triangulari* Breyn. Prod. 2. 44. *Euphorbium verum* J. Commel. in Not. ad. Hort. Malab. Part. 2. 82. *Euphorbium verum antiquorum* Raji Hiſt. 873. *Scadida-Calli* Hort. Mal. p. 2. 81. hunc *Tithymalum* pro varietate præcedentis duntaxat habet Pluckenetius, ſed perperam, cum ſpecies ſit diverſiſſima, & toto, ut ajunt, cælo ab illo diſcrepat, ut veſtrum quiſque videre poteſt.

Tithymalus aizoides triangularis & quadrangularis nodoſus & ſpinoſus, ramis compreſſis. Nobis. *Euphorbium triangulare ramis planis compreſſis opuntiæ facie*, & *Euphorbio ſimilis Sadricalli Indorum* Breyn. Prod. 2. 44. *Rangiferi cornua referens planta Zeylanica. Sandri-Calli Zeylonenſium* Parad. Bat. Prod. 368.

Tithymalus aizoides arborescens spinosus, caudice rotundo, nerii folio. Nobis. *Tithymalus Zeylanicus spinosus arborescens* Parad. Bat. Prod. 381. & Pluckenet: Phytogr. Tab. 230. Fig. 4. *Tithymalus arborescens spinosus Zeylanicus foliis Laurinis* Herman. Catalog. post Parad. Batav. *Euphorbio & Tithymalo media affinis aizoides Indica arborescens spinosa, nerii folio* Breyn. Prod. 2. 45. *Euphorbium secundum hactenus ignotum* J. Commelin. in Not. ad Hort. Malab. p. 2. 84. *Ela-Calli* Hort. Malab. p. 2. 83.

Tithymalus aizoides arborescens spinosus caudice angulari, nerii folio. Nobis. An *Tithymalus amboinensis, Ligularia Rumphii* Hermanni Catalog. post Paradis. Batavum?

Tithymalus Africanus aphyllos angulosus & spinosus, flore pallido J. Commel. Catal. Hort. Amst. 351. *Tithymalus mauritanicus aphyllos angulosus & spinosus, ex quo Euphorbium officinarum* Herm. Cat. Hort. L. 598. *Euphorbium cerei effigie, caulibus crassioribus, spinis validioribus armatum* Breynii Prod. 2. 45. *Euphorbium Dodonei, Lobelii* B. Pin. 387. *Euphorbium vulgo sed falso creditum* Raji Hist. 872.

Tithymalus ramosissimus frutescens, pene aphyllos Parad. Bat. Prod. 381. *Tithymalus Indicus fru-*

fruteſcens Raji Hiſtor. 1710. *Tithymalus arboreſcens*, *caule aphyllo* Pluckenet Almag. Botan. 368. *Tiru-Calli* Hort. Mal. P. 2. 85.

Tithymalus ramoſiſſimus non fruteſcens pene aphyllos. Nobis. *Felfel Tavil* Alpin. Pl. Ægypt. 96. *Felfel Tavil ſeu Piper longum Ægyptium* Veſling. Obſerv. 34. differt hæc planta â præcedente, quod caules varii ex eadem radice proveniant, & vix trium pedum altitudinem acquirant, quum planta præcedens unicum duntaxat truncum ex radice protrudat, & in fruticem decem pedibus altiorem excreſcat, cætera conveniunt omnia.

Tithymalus aizoides Africanus pini fructuum facie. Nobis *Tithymali forte genus planta Lactaria pini fructuum facie* Breyn. Prod. 2. 100. Prod. 1. 44. *Planta Lactaria Africana* Hort. Amſtel p. 1. 33. hanc plantam Cl. Pluckenetius cum ſuo *Tithymalo Africano arboreſcente*, *ſquamato caule ſpinoſo*, quem Phytographiæ Tabula 230. Fig. 5. exhibet, confundit, quocum nullam habet affinitatem, ſpinoſus enim eſt *Tithymalus* Pluckenetii, hic non item, folia Plantæ Pluckenetianæ magna ſunt admodum, ut quadruplo equidem hanc noſtram ſuperent.

Tithymalus aizoides Africanus ſimplici ſquamato caule. Nobis.

Ti-

Tithymalus aizoides Africanus simplici squamato caule Chamænerii folio. Nobis.

Tithymalus aizoides Africanus validissimis spinis ex tuberculorum internodiis provenientibus. Nobis.

Tithymalus Canariensis frutescens Linariæ foliis Hort. Amstel. p. 2. 209. *Tithymalus dendroides Linariæ foliis ex Insula Canaria* Pluckenet. Phytogr. Tab. 319. F. 5.

Tithymalus arboreus Americanus Cotini folio Hort. Amst. P. 1. 29. *Tithymalus Curassavicus folio Cotini Massinilia Sylvestris* Parad. Bat. Prod. 381. *Tithymalus Surinamensis arborescens Cotini sive Coccigriæ foliis & facie* Breyn. Prod. 2. 100. *Tithymalus Curassavicus folio Cotini triphyllos, petalis flosculorum serratis* Pluckenet. Almag. Bot. 369.

Tithymalus dendroides ex codice cæsareo Dodonei 372.

Tithymalus Americanus sive Peplis major Brasiliensis flosculis albis Raji Hist. 870. J. Commel. Cat. Hort. Amst. 351. *Caacica* Marggr. 15.

Tithymalus Americanus Fici foliis urens. Nobis. *Ricinus Tithymaloides Americanus lactescens & urens floribus albis.* Parad. Batav. Prod. 370. Hort. Amst. P. 1. 19. *Ricinus lactescens Fici foliis spinis mordacibus armatus* Pluckenet. Phytogr. Tab.

Tab. 220. Fig. 3. *Ricinus humilis lactescens, fici foliis, flore lacteo pentapetalo, caule, foliis & capsulis seminalibus spinulis urticarum more pungentibus armatis.* Banisteri. *Manihot Americana spinosissima, folio vitigineo Plumerii* Tournef. institution. rei Herbar. 658. *Frutex pungens & urens.* Marggr. 79.

Tithymalus characias amygdaloides foliis eleganter variegatis. Herman: Fl. Lugd. Bat. Fl. edit. alt. 115.

Omnes Tithymalorum species sive Aizoides aut Euphorbia dicantur, sive minus sint succulenti, valide per inferiora purgant.

Ricinorum species sunt.

Ricinus vulgaris B. Pin. 432. J. Bauh. l. 3. 642. *Ricinus* Dod. Pempt. 367.

Ricinus Africanus maximus caule geniculato rutilante H. Reg. Par. 127. *Avanacu seu Catu Avanacu* Hort. Mal. 2. 57.

Ricinus Indicus maximus caule geniculato totus ruber Herman. Cat. 525. *Ricinus vulgaris major* Raji Hist. 1710. *Pandi-Avanacu* H. Mal. 2. 60.

Ricinus Americanus major caule virescente Hort. Reg. Paris. 127.

Omnes Ricinorum species valide purgant, datur tamen species in Horti Malabarici parte se-

cunda deſcripta nomine *Codi-Avanacu*, quæ fluxibus ſiſtendis proficua eſt, & vires debiles reparat.

Chamæleæ unicam ſpeciem hactenus poſſidet hortus, quæ vocatur.

Chamælea Tricoccos B. Pin. 462. J. B. 1. 584. *Chamælea* Dod. Pempt. 363.

Purgat Chamæleæ ſuccus, ſed lente, ad drachmam & duas, etiam per ſe, aut aliis admixtum catharcticis perbono eventu ſæpe exhibuit J. Bauhinus.

Paliuri unica etiam duntaxat ſpecies colitur, vocaturque.

Paliurus Dod. Pempt. 756. *Rhamnus & Paliurus folio jujubino.* J. Bauhin. 1. 35. *Rhamnus folio ſubrotundo, fructu compreſſo.* B. Pin. 479.

Folia & radices Paliuri Ventrem fluentem cohibent, fructus e contrario incidunt, calculos veſicæ comminuere, & pectoris pulmonisque excretionibus auxiliari dicuntur.

Tithymaloidis unica etiam ſpecies mihi nota eſt, & in horto colitur, quæ pro vario auctore varium quoque ſortita eſt nomen, & dicitur.

Tithymaloides fruteſcens folio myrti ampliſſimo Tournef. Inſt. rei Herb. 564. *Tithymalus fruteſcens Americanus myrtifolius, flore difformi rubicun-*

bicundo J. Commel. Cat. Hort. Amſt. 350. *Tithymalus Curaſſavicus myrtifolius, flore papilionaceo, coccineo, parvo.* Parad. Bat. Prod. 381. *Tithymalus (vel Tithymalo affinis, ſeu ſimilis) aphyllus dictus major Indicus latifolius flore ſanguineo, aviculæ capitulum repreſentante* Breyn. Prod. 2. 100. *Tithymalus Curaſſavicus myrtifolius flore coccineo mellifero* Parad. Batav. 254. Nullam cum Apocynorum ſpeciebus affinitatem habet hæc planta, ut dubitat Pluckenetius Almag. Botanic. 319. quum ſemina cum propendente lanugine imbricum modo ſtylo nutritivo incumbentia in ſiliqua unicapſulari univalvi non gerat, ſed tricapſularis & tricocca ſit, & præter ſuccum lacteum nihil habeat cum Apocyni ſpeciebus commune.

Ricinoidis ſpecies, quæ nunc in horto colunntur, ſunt.

Ricinoides Americana Goſſipii folio Tournef. Inſtit. rei Herb. 556. *Ricinus Americanus major, ſemine nigro.* B. Pin. 432. *Ricinus major Americanus, Curcas dictus, & Faba purgatrix Indiæ occiduæ* J. Bauh. 3. 643. *Munduy-guacu, ſive Nux cathartica Americana* Piſon. 179. *Mundubiguacu* Marggr. 96.

Ricinoides arbor Americana, folio multifido

Tournef. inſt. rei Herb. 556. *Ricinus Americanus tenuiter diviſo folio* Breyn. Cent. 1. 116. *Avellana purgatrix* B. Pin. 418. *Avellana purgatrix novi orbis* J. Bauh. 1. 322.

Ricinoides Americana ſtaphidis agriæ foliis, flore purpureo. Nobis. *Ricinus Americanus perennis floribus purpureis ſtaphidis agriæ foliis* Hort. Amſt. P. 1. 17. *Ricinus Braſilianus perennis, flore purpureo, folio ſtaphydis agriæ nonnihil ſimili.* Par. Bat. Pr. 369. an *Ricinoides Americana ſtaphis agriæ foliis* Tournef. Inſt. rei Herb. 556? *Ricinus Americanus folio ſtaphis agriæ* B. Pin. 432?

Ricinoidum ſpecies fortaſſe etiam omnes per inferiora purgant, primam tamen & ſecundam purgare, vel ipſa earum ſynonima ſatis indicant.

Alaternoidum ſpecies, quas hortus noſter alit, omnes Africanæ ſunt, & circa Promontorium Bonæ ſpei ſuapte proveniunt, & ſunt.

Alaternoides Africana ericæ foliis, floribus albicantibus & muſcoſis. Hort. Amſt. p. 2. 1.

Alaternoides Africana Telephii legitimi Imperati folio, flore viridi. Hort. Amſt. 2. 3.

Alaternoides Africana Chamæmeſpili folio rigidiore & minore, floribus albicantibus. Nobis.

Alaternoides Africana Roriſmarini latiore & philoſiore folio. Nobis.

Ala-

Alaternoides Africana Lauri ſerratæ folio. Nobis. *Alaternus Hyſicanenſis ſeu Africana Lauri ſerratæ odoratæ Stapelianæ foliis* Kiggel. Cat. Beaum. 3. Pluckenet. Phytogr. Tab. 126. Fig. 1.

De Alaternoidum viribus nihil conſtat, quum plantæ ſint novæ, earumque vires a nemine, quod ſciam, ſint deſcriptæ.

Acriviolæ ſpecies quatuor alit hortus, quæ ſola magnitudine & floris colore variant, quæ *maxima* vocatur, *duplex* eſt, *florem* vel gerit *luteum*, vel *ſulphureum*, quæ *minor* vocatur etiam *duplex* eſt, & *flore* quoque gaudet vel *luteo* vel *ſulphureo*; notandum hoc genus tot ferme nomina mutuatum eſſe, quot illius fere meminerunt auctores, nam *florem ſanguineum* vocat Monardus capite LXIX. *Pelon Mexixquilitl*, *Pelon Chilly ſeu Naſturtium Pervinum* Recchius, & Joannes Terentius in notis ad eundem *violæ ſpeciem* facit pag. 161. & 162, quem Hermannus in catalogo Horti Academici 628. & Pluckenetius in Almageſto Botanico 388. ſequuntur: *Violæ affinem* dicit Breynius Prod. 2. 103: *Naſturtium Indicum* uterque Bauhinus & plurimi alii. *Cardamindi* nomine Tournefortius in utraque editione inſtitutionis rei herbariæ 341. 430. proponit, quem ſequitur Rivinus Ord. Plantar. ir-

regular. pentapet 24. *Acriviola* in tabula phytoſophica duodecima Frederici Cæſii vocatur, quem ſequitur Volckamerus Flor. Norimberg 11. a quo nomine etiam non eſt alienus Rivinus loco citato. Omnia ſynonima collegit Pluckenetius in Almageſto ſuo Botanico pag. 388. 389.

Acriviolæ flores & ſemina in acetariis uſurpantur, flatus inteſtinorum diſcutiunt. Scabiem contumacem & malignam curare auctor eſt Simon Pauli.

Corindi unicam ſpeciem alit hortus, quæ vocatur.

Corindum ampliore folio, fructu majore Tournef: Inſtitut: rei herb. 431. *Piſum veſicarium, fructu nigro alba macula notato* B. Pin. 343. *Halicacabum peregrinum multis, ſive Cor-Indum* J: Bauh: 2. 173. *Halicacabus* Dod. Pemptad. 455.

De *Corindi* viribus altum eſt apud auctores ſilentium.

Exhibito tum utilitatis tum methodi ſpecimine, demonſtrationes exoticarum, dum anni tempus eas diutius continuare vetet, proxima æſtate auſpicabor, earumque integram, Deo vitam & vires largiente, dabo hiſtoriam, volui tamen eas hoc autumno auſpicari, tum ut Nobiliſſ: & Ampliſſ: Proceribus, qui hoc tempore hanc provinciam mihi demandarunt, morem gererem, tum ut & utilitatis & methodi ſpecimine, exhibito, inſtituti mei eſſetis participes. Diu-

DIuturni ſilentii, Auditores eruditiſſimi, quo præteritâ hyeme uſus ſum, finem attulit hodiernus dies, dies ille, quo redierunt jam gramina campis arboribuſque comæ, quo cælo favente ſtirpes ex altero orbe petitæ magis magiſque huic noſtro aſſueſcere climati, & ex hybernaculis velut in campum ſe transferri patiuntur: Dies hicce eſt, quo publicas exoticarum plantarum demonſtrationes hac æſtate habendas exordiar: quid, quæſo, nunc erit convenientius? quam ut in harum exordio hac horâ Botanices ſtudii dulcedinem & jucunditatem demonſtrem, ut his ipſis allecti erga hoc ſtudium fervore capiamini, ut hujus ſtudii amœna ſubjecta intelligentes huic ipſi operam detis, atque adeo ejus jucunditate cum utilitate conjuncta frui impellamini.

Quid quæſo humano generi acceptius, quid illi jucundius poteſt exiſtimari, quam continuus eorum aſpectus, & ſeria eorum inveſtigatio, quæ primo homini contemplanda voluit divinum Numen? nihil enim jam vix creato homini convenientius, jucundius hoc ipſo nihil

hil Omnipotentis divina judicavit Sapientia, quam ut ipſe vix creatus Adam, non immemor ſui Creatoris & hæc oblectamenta divina, Paradiſum putate arboribus elegantioribus feraciſſimum, fructibus & oculo & menti gratiſſimis abundantem, videns, Creatorem continuo coleret atque veneraretur: mortali enim nihil poteſt eſſe dulcius, quam quod ſui ingenii aciem ad cognitionem & cultum divini Numinis acuit & incitat; nam, etiamſi vel maxime omnia, quæ pulcerrimo hoc, quæ vaſtiſſimo hujus univerſi orbis ambitu continentur, ſummi Creatoris numquam venerandi & laudandi ſatis majeſtatem abunde declarant atque extollunt, me tamen judice in re ferme nulla laudandam magis venerandamque ſeſe uberius oſtendit, quam in innumeris ac maxime variantibus telluris muneribus, ſive diverſas & ſapienter admodum ordinatas plantarum ſtructuras, radicum putate, foliorum, florum, fructuum, ſive diverſos in iis ex eadem tellure provenientibus contentos ſuccos, ſive ipſas, quas humano generi præſtant virtutes & commoda, humano generi, ſi quidquam aliud, certe hæc utilia & neceſſaria, reſpiciamus, nam

Cunctis

Cunctis planta suis numen demonstrat in hortis,
Præsentemque refert quælibet herba Deum.
Emicat ex ipsis divina potentia campis,
Et levis est cespes, qui probat esse Deum.

Coruscent in cælis sydera, atque ipsorum luminis splendore & ordine haud mutabili sed constanti omnem humanæ mentis aciem transcendant longe, dignitatem tamen aut jucunditatem non minorem plantarum venustas & pulcritudo ipsi tribuunt telluri, ac sidera cælis. Existat homo, creatorum omnium se præstantissimum glorietur, sine his ipsis se in hac tellure vix posse existere, illas ipsas sibi rerum creatarum jucundissimas & maxime necessarias fateatur necesse est.

Quid dulcius, quid suavius excogitari potest illa amæna diversicolorum florum contemplatione? quam jucunditatem ex Amarantorum, Hæmanthi, Leoneuri Africani, Iridum, Anæmonum, Ranunculorum, aliorumque plurimorum floribus elegantissimis æstate videntes non percipimus? & amœnis gratisque eorum coloribus oculos nostros non pascimus? Qua dulcedine & suavitate Hyacinthorum, Liliorum, Narcissi

Hexagoni Americani & Ceylonenſis aliorumque ſuaveolentium flores nos non afficiunt & recreant, & odoribus ſuis fragantiſſimis nares noſtras non delectant? ſed quid pluribus hæc demonſtrare conor! ipſa Lilia convallium, quæ neque nent neque fatigantur, illa tamen pulcra ſunt admodum, ut nec ipſe Salomon in omni ſua gloria amictus fuerit quaſi unum ex iſtis, ut Divinum teſtatur Oraculum.

Quid, quæſo, nobis acceptius eſſe poteſt, quam quod ubique terrarum, ſive altiſſimos aſcendamus montes, vel profundas valles ingrediamur, ſive quod littora, agros, nemora, dumeta perreptemus, ex continuo earum nobis obviam venientium conſpectu jucunditate afficiamur maxima? nam ſtirpium notitia edoctis non poteſt eſſe earum occurſus non gratiſſimus, præſertim ſi ante non viſa occurrat, quæ non minori nos afficit gaudio, ac ſi ingentem theſaurum reperiſſemus: hac ſcientia inſtructi terrarum nullibi ſoli eſſe videbimur, aut nos temporis tædebit, habemus enim quibuſcum quaſi confabulari queamus; earumque vires ſi nobis innoteſcant, hæ ipſæ ſtatim in memoriam rediguntur; ſi occurrentes non ante vidimus, illæ ipſæ ſuis characteribus ſui notitiam nobis impertiunt, nobis qua ſub

claſſe

classe militent, cui generi aut familiæ adscribi aut conjungi debeant, indicant; cognitis classe, familia & genere ilico in nobis virtutum quodammodo excitatur cognitio, maximam certe illarum investigandæ virtutis in nobis oriri spem percipimus.

Vires earum & facultates si habeamus perspectas, si quid emolumenti, quid commodi misero humano generi afferant, consideremus, nihil quidquam rerum creatarum existere fatendum est, quod nos majori jucunditate afficere, aut recreare possit; dic, quæso, quid acceptius, quid gratius humano generi, quam quod simul utilissimum eique maxime necessarium, fingi potest? nam sicuti mulieri & omni fœmellæ fontes lactis sub partum scaturiunt, ut recentes fœtus rigentur alimentis necessariis & convenientibus, ita & terrestrium animalium matri terræ omnes stirpium species attribuit divina sapientia, ut cognatis non alienis cibis partus ejus uterentur, ut infirmitatibus aut morbis affecti ex his ipsis medicinam peterent: quam assertionem tantæ esse veritatis edocuit experientia, ut nulla tam infelix aut infœcunda tellus inveniatur, quæ salubre non afferat medicamen, quæ pro expellendis morbis endemiis medicinam non porrigat.

Quid aliud, quæſo, Auditores, ad ſtirpium notitiam & culturam impuliſſe putatis, Cæſares, Reges, Principes, Magnates aut fortunatos, quam unica illa jucunditas cum utilitate conjuncta? atque adeo ut Diocletianus Imperator throno & ſceptro relictis, poſtquam annis viginti duobus res magnas geſſiſſet, Salonicæ ruri vitæ reliquum egerit. Evax Rex Arabum, Plinio teſte, de ſimplicium effectibus tractatum ad Neronem ſcripſit, herbarum effigies pinxit, atque earum effectus ſubſcripſit. Antonius Caſtor centenario major nullum corporis malum expertus plantas plurimas Plinii tempore alebat; nec etiam defuerunt, qui a ſe inventis & exploratis plantis ſui appellationem indiderunt: Quid multis? ipſe Regum omnium ſapientiſſimus Salomon de Cedro Libani ad Hyſſopum, qui de pariete egreditur, diſſeruit, hoc eſt ab herba minutiſſima ad altiſſimas celſiſſimaſque arbores uſque omnes habuit cognitas & exploratas. Sed quid de illis commemoro, qui ferme temporis longinquitate oblivioni ſunt dati? fuerunt etiam Magnates, fuerunt fortunati noſtris temporibus, & adhucdum exiſtunt, qui hujus ſtudii amœnitate & dulcedine allecti magnis ſumptibus hortos ingentes omni plantarum gene-

genere feraciſſimos exſtruxerunt: non Beverningianos, Fagelianos, Beaumontianos, aliorumve Batavorum hortos recenſebo, aut longe abhinc diſſitos ut hujus veritatis teſtimonia adducam, veritatem hanc, præter hortos publicos Magnatum ſumptibus in publicam utilitatem exſtructos, ingentes illi Horti Regii Hamtonienſes in Anglia, & Honſlaerdicenſes in Hollandia ſatis ſuperque demonſtrant.

Poteritne jam, Auditores, ſtudium aliquod ſuavius aut dulcius hoc ipſo Botanices excogitari? cujus objecta illa ipſa ſunt, quæ homini jam vix creato & ſui Creatoris imaginem perfectiſſimam adhucdum poſſidenti contemplanda voluit D. O. M., cujus objecta diverſiſſima & multiplicia Creatoris univerſi nobis notitiam & cultum impertiunt; cujus objecta pulcra & accepta ſunt admodum, ut his ipſis nihil pulcrius, nihil acceptius aut oculis noſtris videre, aut naribus noſtris haurire queamus: cujus objecta etiam in remotiſſimo telluris angulo & ſui & virium, quas poſſident, cognitionem quaſi indicant: cujus objecta nobis admodum ſunt neceſſaria, ut ſine his ipſis in hoc mundo nec vivere, nec ſemel amiſſam ſanitatem recuperare poſſumus.

Volui, Auditores, hanc ſtudii Botanices ju-

cunditatem in præliminio noſtrarum demonſtrationum oſtendere, ut vos ipſi, qui præterito autumno exoticarum ſtirpium demonſtrationum a me audiviſtis utilitatem, nunc etiam Botanices ſtudii jucunditatem perciperetis, fore ut ſi non harum alterutra ad hoc ſtudium, ſaltem utraque impellamini.

Videamus nunc, Auditores, pulcerrimas gratiſſimaſque illas plantas, quæ unico nomine generico *Aloes* innoteſcunt: videamus hac lectione quam ingenti maximoque numero his ipſis ſuperbiat orneturque hic hortus, quum numerum æqualem diverſarum ſpecierum *Aloes* nullus unquam hactenus aluerit. Quum vel verſatiſſimus in hac ſcientia (etiamſi vel maximam telluris partem peragraverit) totidem *Aloes* ſpecies ſua vita non viderit, vel aliquis Botanographus ſcriptis reliquerit.

Dignoſcuntur *Aloes* ſpecies a congeneribus, quod flore gaudeant monopetalo & in ſex, rariſſime quinque, profundas lacinias diviſo, nunc è ramulis aut ſpica dependente, nunc in horum alterutris erecto. Florem ſequitur fructus oblongus cylindraceus in terna diviſus loculamenta, quæ ſemina plana continent. Fructus vel ex ipſo ſtylo nutritivo poſt floris exantheſin ori-

oritur, aut una cum flore prodit, & huic ipsi flos insidet. Radice sustentantur vel fibrosa vel tuberosa. Folia plerumque sunt succulenta & in orbem congesta. Harum quædam, ubi semel floruerint, singulis annis caulem unicum vel plures producunt, qui floribus suæ speciei convenientibus ornantur, ut in *Aloe vulgari* & plerisque *Africanis speciebus* videre est. Quarundam vero singulis annis folia successive explicantur e medio veluti cornu abscedentia, vestigiis quibusdam sui relictis aut nunquam aut rarissime obliterandis, ac si de industria picta essent, hæ autem nunquam flores producunt, nisi omnibus explicatis foliis, ut in *Aloe Americana muricata* J. Bauh. patet, quæ anno 1698. Lugduni Batavorum in Horto Academico, & Lipsiis in Horto Bosiano 1700. ante Biennium floruit.

Asiaticæ sunt aliæ, aliæ Americanæ, quarum una in Asia, America & etiam in calidioribus Europæ partibus crescit, aliæ & omnium plurimæ in Africæ parte, quæ Promontorium Bonæ spei audit, cæteræ species in illa Africæ parte, quæ Guinea dicitur, inveniuntur.

Aloe Vulgaris B. Pin. 286. & Moris. Hist. 417. qui tamen eandem in iconibus vocat *Aloem Arabicam serotinam vulgarem officinarum* Section. 4.

T. 22.

T. 22. *Aloe Dioſcoridis* a Colum 40. *Aloe* a J. B. T. 3. 701. aliiſque vocatur, *Kadanaku* vel *Catevala* Hort. M. 11. 7.

Aloe Vulgaris foliis anguſtioribus & magis glaucis. Nobis.

Aloe Guineenſis Caballina vulgari ſimilis, ſed tota maculata. Nobis. Caballinam hanc voco, quia fractis foliis ſuccus Aloen Caballinam redolet.

Aloe ſuccotrina anguſtifolia ſpinoſa, flore purpureo Breyn. Prod. 2. 12. *Aloe Indiæ Orientalis ſerrata, ſive ſuccotrina vera, floribus phœniceis* Kiggel. Catal. Beaum. 5. *Aloe Americana ſerrata floribus coccineis.* Parad. Bat. Prod. 306. *Aloe* hæc non eſt Americana, etiamſi Americanam Hermannus in Parad. Bat. Prod. dixerit, dum illam omnium primus ex India Orientali accepit Vir Nobiliſſimus S. a Beaumont Nobiliſſ. & Præpotent. Dominis Ordinibus Hollandiæ & Weſtfriſiæ a Secretis, qui illam cum hoc & aliis hortis communicavit.

Aloe Zeylanica pumila foliis variegatis Parad. Bat. Prod. 306. *Aloe pumila ſerpentaria Zeylanica* Breyn. Prod. 2. & in parte altera hujus horti deſcribitur.

Aloe Americana muricata J. B. T. 3. 701. *Aloe folio in longum aculeum abeunte* B. Pin. 286.

Aloe

Aloe mucronato folio Lob. *Aloe Americana* Cluſ. & aliis.

Aloe Americana minor Muntingii Aloid. 12.

Aloe Americana ex Vera Cruce foliis latioribus & glaucis Kiggel. Cat. Hort. Beaum. 4. *Aloe Americana foliis cæſiis latioribus* Parad. Bat. Prod. 305. Hanc cum præcedente non eſſet confundendam capite decimo ſexto alterius partis Horti Amſtelædamenſis, cum hanc deſcriberem, demonſtravi, & in deſcriptione *Aloes Americane minoris* Muntingii poſt hæc præludia exhibenda demonſtrabo.

Aloe Americana ex Vera Cruce foliis anguſtioribus minus glaucis Kiggel. Cat. Hort. Beaum. 4. *Aloe Americana foliis viridioribus & anguſtioribus* Parad. Bat. Prod. 305.

Aloe Americana viridi rigidiſſimo & fœtido folio, Piet dicta indigenis Kiggel. Cat. Beaum. 5. *Aloe Americana tuberoſa fœtida major* Parad. Bat. Prod. 306. *Aloe Americana levis latiſſimo folio ſplendente* J. Commel. Cat. Hort. Amſt. 15.

Aloe Americana tuberoſa minor ſpinoſa Parad. Batav. Prod. 306. Binæ hæ *Aloes* ſpecies parte altera Horti Amſtelædamenſis deſcribuntur.

Aloe Americana ſobolifera Herm. Catal. H. Lugd. Bat. 16.

Aloe Americana juccæ foliis arborescens Kiggel. Cat. Beaum. 5. *Aloe juccæ foliis caulescens ex Vera Cruce* Parad. Bat. Prod. 306.

Aloe Americana draconis folio serrato Nobis. *Aloe Americana non spinosa glabra silckgras Barbadensium* Kiggel. Cat. Beaum. M. S. An *Aloe juccæ foliis* Sloane Cat. Plant. Jamaic. 118?

Aloe Africana arborescens montana non spinosa, folio longissimo plicatili, flore rubro Hort. Amst. Part. 2. 5.

Aloe Africana caulescens foliis glaucis caulem amplectentibus Hort. Amstel. Part. 2. 27.

Aloe Africana caulescens, foliis magis glaucis, caulem amplectentibus, & in mucronem obtusiorem desinentibus Nobis.

Aloe Africana caulescens, foliis minus glaucis, caulem amplectentibus, dorsi parte suprema spinosa Nobis.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis, caulem amplectentibus, latioribus & undiquaque spinosis Nobis.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis, caulem amplectentibus, & dorso integro spinoso Nobis.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis brevioribus, caulem amplectentibus, foliorum parte interna & externa nonnihil spinosa Nobis.

Aloe

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis brevissimis, foliorum summitate interna & externa nonnihil spinosa Nobis.

Aloe Africana caulescens perfoliata glauca & non spinosa Nobis.

Aloe Africana caulescens foliis spinosis maculis ab utraque parte albicantibus notatis Hort. Amstel. p. 2. 9.

Aloe Africana flore rubro, folio maculis ab utraque parte albicantibus notato Hort. Amstel. p. 2. 15.

Aloe Africana flore rubro, folio triangulari & verrucis ab utraque parte albicantibus notato Hort. Amstel. p. 2. 17.

Aloe Africana folio in summitate triangulari margaritifera, flore viridi Hort. Amstel. p. 2. 19.

Aloe Africana folio in summitate triangulari margaritis rarioribus obsita Nobis. Hæc *Aloes* species a nemine hactenus est descripta, nullaque hanc inter & præcedentem intercedit differentia, quam quod pauciores appareant margaritæ in singulis foliis, cætera ut foliorum magnitudo, figura & flores exacte respondent omnia.

Aloe Africana margaritifera minor Hort. Amst. p. 2. 21.

Aloe Africana margaritifera minima Nobis. Hæc species a præcedente foliorum & margari-

tarum parvitate duntaxat variat, cum ambo multo ſint minora.

Aloe Africana foliis glaucis margine & dorſi parte ſuperiore ſpinoſis Hort. Amſtel. part. 2. 23.

Aloe Africana foliis glaucis margine & dorſo integro ſpinoſis Hort. Amſtel. p. 2. 25.

Aloe Africana breviſſimo craſſiſſimoque folio, flore ſubviridi Hort. Amſtel. p. 2. 11.

Aloe Africana folio glabro & rigidiſſimo, flore ſubviridi Hort. Amſtel. p. 2. 13.

Aloe Africana glabro folio minutiſſimis cavitatibus notato Nobis.

Aloe Africana humilis ſpinis inermibus & verrucis obſita Nobis.

Aloe Africana humilis arachnoidea Nobis.

Aloe Africana humilis, foliis ex albo & viridi variegatis Nobis.

Aloe Africana humilis, folio nonnihil reflexo, floribus ex albo & rubro variegatis Nobis.

Aloe Africana humilis folio in ſummitate quaſi triangulari & rigidiſſimo, utroque margine albicante Nobis.

Aloe Africana erecta triangularis & triangulari parvo folio Nobis.

Aloe Africana erecta rotunda, folio parvo & in acumen rigidiſſimum exeunte Nobis.

Aloe

Aloe Africana folio triangulo longissimo & angustissimo, floribus luteis fœtidis Herm. Cat. Hort. Lugd. Bat. 18. *Iris uvaria Promontorii bonæ spei* Bod. a Stapel. in Theophr. 335. *Iris uvaria flore luteo* Breyn. Prod. 2. 59. Hanc genuinam esse *Aloes* speciem ejus semina, mihi ante biennium nomine *Aloes aquaticæ* missa, me certiorem fecerunt.

Aloe Africana arborescens floribus albicantibus fragrantissimis Hort. Amstel. 2. 7. *Aloe Africana arborescens* Hort. Amstel. p. 1. 93. Kiggel. Catal. Beaum. 5.

Aloe Guineensis radice geniculata, foliie e viridi & atro undulatim variegatis Hort. Amstel. p. 2. 39. *Anonymos Guineensis, Aloes foliis geminatis, e viridi & atro undulatim variegatis, floribus rubicundis Apocyni floribus Lilii Convallium Dodarti similibus* Kiggel. Catalog. Beaumont. 8.

Recensitis indigitatisque *Aloes* speciebus, præterire *Yuccam* non possumus, quin eam demonstremus, cum easdem cum *Aloes* speciebus habeat notas characteristicas, atque hinc etiam merito *Aloe* vocari possit, dicitur.

Yucca Aloe foliis B. Pin. 91. *Yucca nova gloriosa elata planta* Lobel.

Etiamsi variæ *Aloes* species existunt, quæ succum fundunt amarum, harum tamen unica est, quæ *Aloes vulgaris* a C. Bauhino, *Dioscoridis* a

Fabio Colomna, *Arabica Serotina Officinarum* a Morisono vocatur, & ab omnibus Botanicis *veram Aloem* fundens planta existimatur, cujus succus concretus in officinis pharmaceuticis Græco Latinoque *Aloes* nomine innotescit, & hoc ipso nomine a Veteribus describitur; Arabes, Persæ & Turcæ, annotante Garcia ab Horto, *Cebar* vocant, etiamsi *Laber* a Serapione, sed interpretis errore, ut notat J. Bauh., dicatur.

Hic succus triplex est, vel *Aloe succotrina* (quæ & *Lucida* dicitur) *Hepatica* vel *Caballina* vocatur, quæ sola duntaxat puritate impuritateve, ut plurimorum est opinio, differunt; omnium purissima est *succotrina*, quod nec ego inficior, sed aliquam tamen dubitandi ansam geminæ aliæ *Aloes* species statim indigitatæ exhibent, ut *Aloe succotrina angustifolia spinosa flore purpureo* Breynii, & *Aloe Guineensis Caballina vulgari similis, sed tota maculata*; dum prioris succus recens sapori odorique *Aloes succotrinæ*, alterius autem *Aloes Caballinæ* respondet, adde denique *Aloem Caballinam* officinarum â fœtore illo ingrato, quem spirat, nullo artificio aut lotione liberari posse, quod factu meo judicio non esset difficile, si sola impuritate a *succotrina* differret: nullus tamen etiam dubito, quin ex variis

variis *Aloes* ſpeciebus, ſuccum amarum continentibus, ſuccus *Aloes vulgaris* ſucco ſimilis, & quo ad vires reſpondens, colligi poſſit.

Hujus ſucci conficiendi methodum plurimi deſcripſerunt, de qua Cl. Rajus conſuli poteſt.

Uſus ejus eſt vel internus vel externus. *Aloe* interne ſumpta purgat, obſtructiones aperit, ventriculum roborat, lumbricos necat, hæmorrhoidum menſiumque fluxum promovet, quare hæmorrhagia aliqua laborantibus non ſine incommodo propinatur.

Externe admota exſiccat, venarum ora claudit, ſanguinem ſiſtit, vulnera recentia, & quæ ad cicatricem vix perduci poſſunt, conglutinat.

Folia ipſius plantæ conciſa cum ſale cocta Cambajæ Incolis & ipſi Regi pro medicamento purgante propinantur. Plantam tuſam & cum lacte mixtam ulcere renum & veſicæ laborantibus, aut purulentas urinas excernentibus magno cum ſucceſſu & ægrorum commodo propinant Goæ medici, nam ilico annotante Garcia ab Horto curantur.

Aloe Americana muricata quidquid vitæ eſſe poteſt neceſſarium, facile præſtare valet, ſi rebus humanis modus eſſet, ut inquit Hernandes, qui conſuli poteſt in hiſtoria ſua Plantarum Mexicanarum capite duodecimo libri octavi.

Aloes

Aloen Americanam minorem Muntingii omnes febres tollere, ſi menſura quatuor cochlearium ſucci hujus *Aloes* exhibeatur, (quod de ſuo *Theometl* ſeu *Maguei Divino* etiam aſſeverat Hernandes) ſcribit Muntingius.

Aloen Americanam ſoboliferam quod attinet, ex ejus truncis ad ignem toſtis ſuccus exprimitur, qui fermentatus & per ſubſidentiam clarificatus vini loco Incolis eſt, largiuſque potus inebriat, ut in Catalogo Horti Beaumontiani refert Kiggelarius.

Jucca foliis *Aloes* nullius in medicina eſt uſus, panis tamen ex radice in farinam comminuta conficitur, & ab Americanis ſine ullo incommodo commeditur, non tamen hic panis *Caſſavi* ab Incolis vocatur, ut nonnulli cum Aldino putarunt, ſed ille ab hoc *Aro Americano*, quod nunc videtis, conficitur, ut me certiorem fecerunt plurimi, qui hoc *Arum* mecum communicarunt, & in America habitarunt. Datur & arbor in America, quæ *Hiucca* ſive *Mandioca ex qua Caſſavi* a Parkinſono, *Manihot Indorum*, ſive *Yucca foliis Cannabinis* a Bauhino in Pinace. *Manihot Theveti*, *Yucca* & *Caſſavi* a Joanne Bauhino, vocatur, quam latius, ut & methodum ex radice hujus arboris farinæ & panis conficiendorum, ex variis auctoribus collectis deſcriptionibus, Rajus in hiſtoria ſua Plantarum p. 1683. deſcribit.

CAS-

CASPARI COMMELIN
PLANTARUM
RARIORUM & EXOTICARUM

IN

PRÆLUDIIS BOTANICIS

RECENSITARUM

ICONES & DESCRIPTIONES.

G

C

Geranium Africanum arborescens, Alchimillæ hirsuto folio, floribus rubicundis.

E Seminibus anno 1700. ex Africa a Nobilissimo Capitis Bonæ Spei Gubernatore Wilhelmo Adriano vander Stel missis nomine *Geranii folio malvæ regionis Attaquæ* enatum est hoc *Geranium*, quod radice sustentatur lignosa, crassa, & fibrosa, e qua caulis erigitur rotundus, hirsutus, viridis, & lineis albicantibus notatus, qui tres quatuorve pedes altus, statim ab ipsa radice in varios, nisi abscindantur, (ut ex ramulorum abscissorum vestigiis patet) divaricatur ramulos, quibus ut & ipsi cauli adnascuntur e pediculo sex septemve uncias longo, rotundo & piloso folia fere rotunda, nervosa, & crenata, quæ odorem spirant non ingratum, & media sui parte nonnihil maculantur, circa ramulorum fastigium pediculi oriuntur septem unciis longiores, qui in alios minores, rubentes & umbellatim positos terminantur, hi in perianthio quinquifido flores gerunt amplos, pentapetalos, & ex incarnato rubentes, quorum duo superiora striis sanguineis notata elevantur, tria autem reliqua deprimuntur, fructus florem sequitur pentacoccus, qui in mucronem exit instar ciconiæ rostri longissimum; tota æstate floret & circa autumnum semina perficit.

Geranium Africanum foliis inferioribus asari, superioribus staphydis agriæ, maculatis, splendentibus, & acetosæ sapore.

ANno 1700. etiam semina hujus plantæ, nomine *Geranii Clematitidis flore ex rubro & albo variegato, regionis Heycoon*, cum mox descripti seminibus transmissa sunt ex Africa. Radices huic plantæ sunt albicantes & fibrosæ: caulis est rotundus, fuscus, & vix unciam altus statim in tres quatuorve dividitur ramulos sarmentosos, qui rotundi primo virides, dein rubentes, tandem cum adultiores fusci evadunt; his longo intervallo in pediculis rotundis, tres quatuorve uncias longis, folia adhærent umbilicata, crassa & succulenta, quæ cum splendore media sui parte nonnihil maculantur; horum quædam, inferiora nimirum, rotunda sunt instar foliorum Asari, cætera, superiora videlicet, in lacinias dividuntur Staphydis agriæ foliis æmula, & acetosæ sapore prædita ad unum sunt omnia: ramulorum summitates in pediculo sex unciis nonnunquam longiore flores umbellatim positos sustinent in calice amplos, pentapetalos ex incarnato rubentes, quorum duo superiora lata instar galeæ eriguntur, superius nonnihil excavata cordis quasi figuram repræsentant, striisque sanguineis insigniuntur, tria reliqua labii instar dependent; floribus evanidis fructus apparet more congenerum mucronatus, pentacoccus; omni anni tempore flores & semina perficit.

Gera-

Geranium Africanum aſtragali folio.

SEmina hujus plantæ abſque nomine aliis Africanis ſeminibus admixta e Promontorio Bonæ Spei accepi anno ultra milleſimum ſexcenteſimum nonageſimo nono: radicem habet hoc Geranium pollicem craſſam & ſubluteam, quæ recta in terram deſcendit, paucas fibras emittens, ex his ipſo vere folia quædem exeunt conjugata, cineritia & hirſuta, hæc folia ex diverſis foliolis, ſexdecim aliquando uni coſtæ adhærentibus, nunc uno impari, nunc minus extremum coſtæ claudente, conſtant; ex ipſa radice æſtatis medio in pediculo longiore flores producuntur umbellatim poſiti pentapetali ex albo rubentes, quæ omnia ſtriis rubentibus inſigniter notantur; ſemina hactenus matura in horto medico produxit nulla, quia circa autumni initium ſenſim folia & flores marceſcunt, & pereunt, quæ ex radice ſuperſtite primo vere redeunt.

Geranium Africanum frutescens folio crasso, & glauco, acetosæ sapore.

RAdix hujus plantæ longa, fibrosa & lutea calami scriptorii crassitiem habet, ex hac radice caulis erigitur rotundus, qui junior viridis tandem fuscus evadit, hic statim in ramulos divaricatur rotundos & virides, quibus folia, pediculo suffulta unciali, adstant crassa, subrotunda, glauca, & in ambitu crenata, circa foliorum pediculi initium duo apparent plerumque foliola ejusdem formæ & texturæ; ramulorum summitates æstatis medio terminantur in flores, umbelliferarum more locatos, qui pentapetali ex albo rubent, quorum petala angusta & oblonga sunt, superiora duo elevata duabus lineis sanguineis circa basin notantur, tria alia immaculata dependent, florem marcidum fructus ut in aliis Geranii speciebus sequitur pentacoccus & mucronatus. Folia hujus plantæ sapore Acetosæ sunt prædita omnia. Avulsis ramulis & seminibus facile propagatur.

Tithy-

Tithymalus aizoides triangularis & quadrangularis articulosus & spinosus ramis compressis.

RAdicem habet hic Tithymalus crassam in fibras terminatam albicantes ; caulis ex radice nunc simplex, geminus aut multiplex exsurgit articulosus triangularis & aliquando quadrangularis, tandem, ubi adultior, anguli evanescunt, caulis rotundus evadit & ex fusco albescit. Caulis in varios dirimitur ramulos omni folio destitutos, sed triangulares aut quadrangulares, hi ramuli ex ipsius caulis internodio oriuntur, omnes tum caulis tum ramulorum anguli e singulis tuberculis, quæ multa possident, spinas emittunt duas rigidas, fuscas, acutas sed parvas, quæ a se invicem decedunt. Planta hæc quatuor cum medio pedum altitudinem superat & tota viridis est, & quæcumque pars læsa lac effundit copiosum: ramulum in alios divisum icon duntaxat exhibet, ut articulorum magnitudo & figura Lectori eo clarius pateret. Quo nomine hæc planta a Breynio in suo prodromo fasciculi plantarum rariorum secundo, & ab Harmanno in Paradisi Batavi Prodromo proponitur, diximus in præludiis nostris pagin: 21. Ex avulso ramulo, ut omnes plantæ aizoides, facile multiplicatur.

Tithy-

Tithymalus aizoides arborescens spinosus, caudice angulari, nerii folio.

RAdix hujus plantæ crassa fibras hinc inde emittit copiosas, stipitem radix producit crassum primo viridem, mox griseum, semper angulosum, nisi planta fuerit satis annosa, tunc pars inferior stipitis, sed vix ad trium quatuorve unciarum altitudinem angulis suis orbatur, & nonnihil rotunda evadit; ex hoc stipite ramuli producuntur ejusdem cum stipite figuræ; in icone nostra stipes ab omni ramulo orbatus exhibetur, ut folia, stipitis anguli & spinæ in ea clarius spectari possent. In ipsis stipitis & ramulorum angulis tubercula apparent multa, quæ ab inferiore parte spinis geminis, acutis, rigidis, fuscis & a se invicem decedentibus armantur, & e medio folia producunt oblonga, subrotunda & succulenta, instar foliorum Elacalli, a quo nulla alia nota distinguitur, quam quod hujus descripti Tithymali stipes & ramuli angulosi sint, Elacalli rotundi, cætera ut folia, spinæ, stipitis crassities, succus lacteus ex quavis læsione profluens, propagandi modus, & quod frigoris sit impatientissimus, conveniunt omnia. Plantam hanc ante duos tresve annos mecum communicavit honestissima & ingeniosissima illa Sibylla Botanica nostri temporis Domina Agneta Block Domini Sybrandi de Flines Vidua, quæ illam ex Amboina accepit, & aliquot annos in suo omni plantarum tam exoticarum quam indigenarum genere instructissimo viridario, quod ad ripam Vechtæ fluminis possidet, coluit.

Tithy-

Tithymalus aizoides Africanus ſimplici ſquamato caule.

RAdix hujus Tithymali alba & craſſa fibras aliquot emittit albicantes: caulis ex ipſa radice exit unicus ſeſquipedem altus, rotundus, viridis & ſquamoſus, qui inferius vix unciæ ſuperius quinque unciarum craſſitiem ſuperat, circa caulis ſummitatem ramuli naſcuntur ex baſi anguſtiore in mucronem auguſtiorem exeuntes, & ut caulis ſquamoſi, ſingulis ſquamis, cum juniores ſint, folia innaſcuntur parva & anguſta; in caulis ramulorumque ſummitate quocumque anni tempore pediculi oriuntur mediam unciam longi, rotundi & craſſi, quorum quiſque florem gerit unicum monopetalum in quinque profundas lacinias diviſum, ut pentapetalus appareat, hæc itaque petala denuo in tres quatuorve alias lacinias dividuntur, florem fructus ſequitur trigonus & viridis, qui tribus ſulcis totidem intus contineri cavitates ſingulas ſemen unicum occultantes quaſi oſtendit, ſeminibus maturis & avulſis ramulis facile multiplicari poteſt, quum, ut cætera Tithymalorum ſpecies aizoides, ramuli hujus plantæ facile agant radices, ſi ſaltem ſtatim poſt avulſionem lactis effuſio, quæ ſatis copioſa alioquin accidit, impediatur.

Tithymalus aizoides Africanus ſimplici ſquamato caule chamænerii folio.

Hujus plantæ radix craſſa undique fibras copioſe emittit, quæ caulem circa baſin vix unicam cum media craſſam, ſed ſuperius ſex unciarum craſſitiem ſuperantem producit, nunc læta nunc triſtiori viriditate præditus eſt caulis, & quacumque parte vulneratur lac fundit copioſum, & e diverſis ſquamis nonnihil eminentibus verſus ſuperiora totus conſtare videtur, quæ eminentiæ nihil aliud ſunt, quam relictæ excreſcentiæ, quibus totidem antea annexa fuerunt folia, quæ ſemper circa ſummitatem apparent, anguſta ſunt, & quinque uncias longa unicum per longitudinem excurrentem poſſident nervum: ſemina, e quibus enata eſt hæc planta, more congenerum tria in totidem diſtinctis cavitatibus naſcuntur, atque illa anno 1700. ad Nobiliſſimos hujus Horti Curatores miſſa ſunt. In ſolo natali locis gaudet uliginoſis & ſalſis, & octobri floret, flores quod attinet, illi ſunt virides, quare in codice Nobiliſſ. & Ampliſſ. Conſulis D. Witſen vocatur *Tithymalus Africanus fruteſcens flore viridi.*

Tithy-

Tithymalus aizoides Africanus, validissimis spinis ex tuberculorum internodiis provenientibus.

Radicem habet hæc planta fibrosam, ex qua caulis erigitur pedem altus, qui primo viridis, dein cineritius, tandem fuscus evadit, sex unciarum crassitiem superat, & sulcis, qui margine constant tuberculosa, ab ima ad supremam usque partem quasi excavatus apparet, singula autem tubercula, cum sint juniora, quibus hæ lineæ eminentes & sulcum a sulco separantes constant, in folium aliquod breve, acuminatum, & ab una parte planum ab altera convexum terminantur, folia hæc omnia, quæ singula ex singulis tuberculis prodeunt, tandem cadunt nunquam reditura, sed hisce evanidis ex nonnullis tuberculorum internodiis spinæ exeunt satis robustæ ex rubro albicantes & acutissimæ, ex aliis internodiis ramuli producuntur ejusdem cum caule figuræ. Flores hactenus aut semina produxit nulla, sed ex quacunque parte læsa lac fundit copiosum. Huic quadammodo similem plantam exhibet Cl. Pluckenetius in sua Phytographia tabula 231. fig. 1. nomine *Tithymali Africani spinosi cerei effigie ex codice Comptoniano*, qui Tithymalus an eadem sit planta cum Euphorbio Dodonæi quærit, sed nec cum ipso Dodonæi Euphorbio, nec cum hoc nostro descriptio Tithymalo ullam habet convenientiam.

Tithymalus Africanus seu Peplis major Brasiliensis flosculis albis Raji Hist.

PLantam hanc *Caacicam* esse, quam Marcgravius absque Icone historiæ suæ Plantarum Brasiliæ libro 1. pag. 15. describit, nullus dubito, cum ovum ovo non possit esse similius, quam Caacicæ descriptio hujus plantæ structuræ convenit, hoc saltem si excipiatur, quod caules non multi ex eadem radice sed unicus duntaxat progrediatur, accidit enim & sæpe, quod e lapsis seminibus plures juxta se invicem nascantur caules, qui tamen non ex una eademque radice oriuntur, quod fortasse Marcgravium fefellit: quare Marcgravii descriptionem huic plantæ convenientem dabo: *Ex radice alba, lignosa, lactescente, paulò majori semipede, caulis prodit teres, nodosus, viridis, uno latere rufescens multis ramis donatus; ad nodos caulis & in ramulis bina folia apposita reperiuntur, in ambitu subtiliter serrata; ramulorum paulo minora iis quæ ad caules. In extremitate caulis & ramorum multi nascuntur flosculi subtilissimi, albi, quatuor foliolis constantes: quos excipit triangularis capsula*, quæ tribus distinctis loculamentis tria semina continet. *Tota planta copiose lactescit, quod lac commendatur a Lusitanis ad oculorum rubedinem & dolorem auferendum.*

Ala-

Alaternoides Africana lauri ſerratæ folio.

SIngulis ferme annis hujus Alaternoidis ſemina ex Promontorio Bonæ Spei in Hollandiam tranſmittuntur, quod mihi videtur indicium certiſſimum magna copia in eodem ſponte ſua naſci: nomine *Ricini Africani ſalicis folio flore viridi* ſemina mittuntur, atque hoc nomine etiam depicta exhibetur in codice Witſiano, cum hac nota, quod gaudeat campis irriguis & rivulorum marginibus, quod ad ſeptem pedum altitudinem excreſcat, & Octobri menſe flores virides pentapetaloideos producat; plantas illas quod attinet, quæ nobis e ſemine in horto medico ſunt enatæ, illæ ex inſigni craſſarum & fibroſarum longe lateque porrectarum radicum contextu naſcuntur, caudice conſtant lignoſo, cortice primo viridi, dein caſtaneo, tandem cineritio, quatuor pedes alto, qui ramulos habet multos cortice eodem, ut caudex, indutos, his folia adſunt viridia, nonnihil mucronata, & circa ambitum crenata, quæ parte ſuperiore ſplendent, inferiore ex albo vireſcunt, & pediculo inſident parvo & rubicundo, flores aut ſemina hactenus produxit nulla, tria tamen in totidem diſtinctis loculamentis producit nigricantia.

Alaternoides Africana chamæmeſpili folio rigidiore & minore, floribus albicantibus.

COpioſe etiam hanc Alaternoidem in Africa provenire ſeminum copia ex ea in Hollandiam ſingulis ferme annis tranſmiſſorum indicare videtur; ſemina mittuntur nomine *Ricini arboreſcentis flore albo, folio lucido.* Radicem habet lignoſam & fuſcam, caulis eſt rotundus cineritius, altitudo hujus caulis variat pro vario cultore, vidi enim, qui ſeptem pedum altitudinem ſuperabant, nos autem, qui elegantiorem ſtructuram arborum exoticarum, quam mediocrem putamus, in horto medico altitudini præferimus, frondoſos ramos, quam omni ferme folio præ longitudine deſtitutos, eligimus, raro caudicem arborum exoticarum altitudinem quatuor pedum excedere permittimus; hæc Alaternoides in ramulos divaricatur primo virides, dein fuſcos, folia abſque pediculo ramulis adnaſcuntur inſtar foliorum Chamæmeſpili, ſed rigidiora & craſſiora, non tamen ſucculenta, quæ parte ſupina vireſcunt, prona albicant; flores oriuntur in ramulorum ſummitate in pediculo longiore multi, pentapetaloidei, parvi & albicantes, florem fructus ſequitur rotundus & cineritius, qui tribus loculamentis ſemina ſplendentia & nigricantia continet; flores hyeme & primo vere producit hæc copioſos, ſemina Junio perficit. *Ala-*

Alaternoides Africana rorismarini latiori & pilosiori folio.

RAdices hujus Alaternoidis tenues lignosæ & fuscæ sunt. Caulis rotundus, castanei coloris, foliorum vestigia diu reservat, & duos pedes altus ramulos emittit tenues, quibus folia parva, oblonga instar rorismarini sed latiora adstant, quæ pilis albicantibus & innumeris undique obsita superius virescunt, inferius nonnihil albicant. Ramulorum summitati in orbem quasi positi flores apparent pentapetaloidei, & ex albo lutei, quorum apices purpurascunt, florem fructus sequitur piriformis tribus loculamentis tria semina nigricantia & splendentia continens: floret hæc Alaternoides primo vere & semina media æstate perficit. Semina nomine *Ricini rorismarini folio montis Attaquæ* mittuntur; *Ricinus Africanus tomentosus flore rubro* vocatur in codice Witsiano, quem Amplissimus Consul plantis plurimis Africanis ad vivum in Africa pictis ornatum possidet, quibus singulis præter nomen aliquod, quo loco gaudet, altitudo & florendi tempus adscribuntur; hæc nostra in Africa locis gaudet apricis, tres pedes alta est & Septembri floret. Hanc Phytographiæ suæ Tab. 342. exhibere videtur Pluckenetius, quam in mantissa sua Almagesti Botanici p. 45. vocat *Chamælæam Africanam tricoccon & tetracoccon taxi folio, fructu nigro, summis ramulis, plumulis sive cæsarie coronato.* Quam cum nostra eandem putarem, si Pluckenetianæ folia omnia essent pilosa, & si in nostra unquam fructum reperissem tetracoccum.

Aloe

Aloe Americana juccæ foliis arborescens

Kiggelarii Catal: Beaumont:

STipitem habet hæc Aloe scabrum & fuscum, qui statim ac e tellure progreditur sesqui pedis crassitiem habet, pars stipitis, quæ in tellure absconditur, fibras emittit plurimas intus albicantes extus rubras, & quarum nonnullæ unciæ crassitiem habent, duorum pedum cum medio crassitiem superat: folia, quæ hujus stipitis summitati adnascuntur, ex angustiore basi in ventrem duarum unciarum excrescunt, in mucronem terminantur acutum, & duorum pedum longitudinem superant: tota hæc planta humanæ est altitudinis, illâque hoc anno cum multis aliis exoticis iisque rarioribus hortum medicum ornare placuit Viro Nobilissimo Domino Daniel des Marets Ædificiorum hortorumque regalium, quæ in Fœderatis Provinciis Invictissimus Britanniæ Rex Wilhelmus possidebat, Curatori.

Aloe Americana Polygona.

HAnc Aloen esse eandem cum *Americana minore* in Aloidario Muntingii delineata & descripta nullus unquam dubitavi, eamque nullam cum *Aloe Americana ex Vera Cruce foliis latioribus & glaucis* affinitatem habere, præterquam quod ejusdem generis species sit, capite decimo sexto alterius partis horti Amstelædamensis, cum illam Aloen describerem, collatis utriusque attributis demonstravi, utramque tamen in recitandis Synonymis Phytographiæ Muntingii pag. 20. confundit Kiggelarius, quum vel primo oculi intuitu facile utraque queat dignosci, deceptum Cl. virum crediderim, quod Aloen Americanam minorem Muntingii crescentem nunquam viderit, nec mirum, quum post Muntingium inter Batavos nemo ejus mentionem fecerit, Patruum Joannem Commelin si excipias, qui eandem in Catalogo horti Amstelædamensis recenset, illam tamen non diu in horto fuisse super-

ſtitem mihi facile perſuadeo, quum me illam ab anno nonageſimo tertio ſeculi præteriti in horto medico unquam vidiſſe non meminerim, donec tandem vir Nobil. & Ampliſſimus D. Joannes Hudde in inclyta hac Amſtelædamenſi Republica Conſul & Senator, nec non Societatis Indiæ Orientalis Præfectus &c. illam ex America acceptam horto medico donaverit anno ultra milleſimum ſeptingenteſimo, ut in Præfatione ad partem alteram ante biennium editam dixi, cui itaque Nobiliſſ. & Ampliſſimo Viro grates debentur maximæ, præſertim, cum ex hoc dono veræ *Aloes Americanæ minoris Muntingii* veram habeamus notitiam.

Radice ſuſtentatur hæc Aloe digitum craſſa, nodulis diverſis geniculatim diſtincta, qui in fibras terminantur. Folia craſſa, quæ ex hac radice proveniunt, ſeſe mutuo amplectuntur, longitudinem ſeſqui pedis habent, duorum nunquam excedunt, circa baſin anguſta in ventrem excurrunt ſex octove digitorum transverſorum latitudinis, & mox in ſpinam terminantur acutam.

Decimo quarto Octobris anni milleſimi ſeptingenteſimi ſecundi folia illa in medio plantæ conſtituta primo explicari videbantur, quibus tandem

tandem explicatis omnibus, ſcapus ex eorum medio exortus in mediam uſque hiemem altior evaſit, qui altitudinem decem pedibus altiorem nactus, rotundus erat, craſſus, glaber & herbaceus, hic foliolis duas uncias a ſe invicem vix diſtantibus, parvis, nec admodum craſſis, & caulem firmiter amplectentibus, veſtiebatur; ex foliorum alis ramuli producebantur viginti, quorum undecim ſuperiores duas tresve uncias longi exeunt in multos alios minores, qui ſinguli florem ſatis pro ſpeciei magnitudine parvum ſuſtinent, monopetalum, & in ſex lacinias diviſum, color florum ex luteo erat herbaceus, ſex ſtamina in transverſum apicem luteum exibant: reliqui novem rami inferiores non flores, ſed ſoboles ſatis copioſe ſuſtinebant, & quod maxime mirandum, cæteri undecim, floribus evanidis, plures ſoboles, quam antea flores, qui tamen ſatis copioſi fuerant, producebant. Aliam ſoboliferam deſcripſit in Catalogo horti Lugduno Batavi Hermannus, quæ toto, ut ajunt, cælo ab hac deſcripta differt, ut facile ex utriuſque deſcriptione lectori patebit, quare noſtram Polygonam vocavi, nomine a prolis abundantia & fæcunditate deſumpto.

Theometl ſeu *Maguei Divinum*, quod in Hiſtoria rerum Mexicanarum libro octavo exhibet Franciſcus Hernandez, cum hac deſcripta magnam habet convenientiam, præſertim ſi utriuſque virtutes & facultates medicæ conſiderentur, nam quod de ſucco Theometl ſeu Maguei Divini ſcribit Hernandez, illum nimirum febres tollere, etiam de ſua Aloe Americana minora aſſeverat Muntingius.

Aloe Americana draconis folio ſerrato.

RAdix hujus Aloe tuberoſa, craſſa & magna plantam alit tribus pedibus altiorem, quæ ex foliis bipedalibus in orbem poſitis & erectis conſtat, folia hæc vix unciam lata, & in ambitu ſerrata, in mucronem acutum ſenſim terminantur, atque adeo Draconis Cluſii foliis æmula ſunt, ut ſi non breviora, & ſerrata forent, atque in mucronem exirent acutum, unam eandemque quis facile judicaret, plantam jam deſcriptam ex ſeminibus ab Illuſtriſſimo & admodum Reverendo Præſuli Domino Henrico Compton Londinenſi Epiſcopo &c. mecum ante quinquennium communicatis enatam poſſidet hortus medicus, nullibi hanc plantam, quod memini, deſcriptam delineatamque inveni, aliquam tamen cum *Tacori foliis*, quæ Cluſius in exoticis pag. 48. deſcribit, habet convenientiam, ſi non ſit eadem, qui conſuli poteſt. Dubitarem etiam nullus quin eadem ſit planta cum *Aloe Juccæ foliis* Sloan. Catal. Jamaic. 118., tum quia hæc folia cum Juccæ foliis aliquam videantur habere convenientiam, tum quia & ſemina eodem nomine *Silkgraſs*, quo Sloane ſuam indigitat, mihi ab Illuſtriſſo Præſuli tranſmiſſa ſunt.

Aloe Africana caulescens foliis magis glaucis caulem amplectentibus, & in mucronem obtusiorem desinentibus.

ANno millesimo septingentesimo semina a Strenuissimo Promontorii Bonæ Spei Gubernatore Wilhelmo Adriano vander Stel missa hanc & quinque sequentes Aloes species produxerunt, quarum duæ priores aliquam cum illa, quam parte altera horti Amstelædamensis capite decimo quarto descripsi, habent convenientiam, has tamen species esse diversas ex utriusque icone & descriptione liquido apparet, hoc tamen interim notatum volo, plantam altera horti Amstelædamensis parte descriptam nunc septem pedum altitudinem superare: hæc prima radicem habet fibrosam, primo albam, dein fuscam: planta hoc tempore est sesquipedalis, caulem habet uncia crassiorem, quem folia amplectuntur glauca, succulenta, oblonga & in mucronem obtusum exeuntia, qui æque ac foliorum latera multis spinis parvis, albicantibus & satis rigidis armantur. Foliorum succus amarorem habet ingratum.

Aloe

Aloe Africana caulescens, foliis minus glaucis caulem amplectentibus, dorsi parte suprema spinosa.

RAdicem longe lateque diffusam in capillares exeuntem habet hæc Aloe, quæ hoc tempore tribus pedibus altior caule sustentatur duas uncias crasso, qui primo viridis tandem fuscus evadit, huic folia adnascuntur crassa nonnihil glauca & in mucronem spinosum & bifidum exeuntia, quæ pedis longitudinem superant & adulta tellurem versus reclinantur, circa dorsi partem supremam ut & margines spinæ apparent satis magnæ, sed minus rigidæ & acutæ, foliorum hujus ut & præcedentis initia caulem amplectuntur, nonnihil pallescunt, & copiosis venis viridibus in ipsum folium obliterandis notantur. Succus hujus Aloes amarus est & fœtidus.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis caulem amplectentibus latioribus & undiquaque spinosis.

RAdices hujus Aloes tenues sunt & copiosæ. Tota planta nunc temporis sesqui pedis altitudinem superat, & caule sustentatur rotundo, fusco & tribus unciis crassiore, huic folia adnascuntur crassa, glauca & rigidissima, quæ pedis longitudinem, & quatuor unciarum latitudinem habent, in mucronem spinosum exeunt, & ab utraque sui parte & margine spinis armantur rigidissimis & acutissimis.

Hujus plantæ succus flavescit, fœtet & maxime amaricat.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis caulem amplectentibus, dorso integro spinoso.

MUltiplici & fibrosa radice nutritur hæc Aloe pedem altior, caule sustentatur duabus unciis crassior, cui folia adnascuntur pedem longa, duas uncias cum media lata, quæ in mucronem terminantur acutum & spinosum, ac in utroque latere & dorso integro spinis armantur multis & rigidissimis; circa foliorum initium, ubi caulem amplectuntur, venæ in hac & præcedente apparent virides in ipsa folia evanescentes.

Succus hujus plantæ fœtet, amaricat & flavescit.

In quatuor hisce jam descriptis Aloes speciebus hoc notandum, quod si illæ per æstatem in hypocaustis vitreis conserventur, spinas, quibus armantur, cum viriditate quadam albescere, si vero aeri liberiori exponantur, spinas omnes rubras evadere.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis brevioribus caulem amplectentibus, foliorum parte interna & externa nonnihil spinosa.

EX radicibus rotundis in capillares exeuntibus planta erigitur vix pedem alta, quæ caule sustentatur rotundo, & pro plantæ altitudine satis crasso, folia huic circumstant glauca, rigida, succulenta, duas uncias lata & quinque longa, quæ in mucronem obtusum ac spinosum terminantur, & spinis in utraque margine albicantibus armantur, in horum tum prona tum supina parte hinc inde maculæ tandem apparent rotundæ & albicantes, quæ sensim eriguntur & in spinas albicantes abeunt.

Fœtet foliorum succus, flavescit & amaricat.

Aloe Africana caulescens, foliis glaucis brevissimis, foliorum summitate interna & externa nonnihil spinosa.

RAdices sunt huic Aloes speciei tenues: tota planta pedem medium alta, folia habet plurima parva succulenta & glauca, quæ vix tres uncias longa, unam lata, dorsi parte suprema & utraque margine spinis semper armantur albicantibus & rigidissimis, pars tamen foliorum interna & externa spinas aliquas nonnunquam habent, sed hæ tamen perpetuo non inveniuntur, nisi planta fuerit annosior. Hujus plantæ succus insipidus est & aquosus.

Aloe Africana caulescens perfoliata glauca & non spinosa.

MUltis iisque fibrosis radicibus alitur hæc Aloe: Planta pedalis est, tota glauca, nullisque spinis armata; folia nonnunquam sex uncias longa, unciam lata & bina ex adverso posita caulem amplectuntur, atque adeo ut unicum hæc duo duntaxat dicenda sint folium, quod in duos mucrones exit, & ab ipso caule perforatur, omnia hæc folia cruciatim posita caulem amplectuntur, in ea parte, qua lata sunt, nonnihil excavantur, nervum per longitudinem ductum possident, & circa mucronem plana sunt; carnosa est planta & insipida, sed non admodum succulenta.

Hanc plantam Anno 1701 & 1702 e Promontorio Bonæ Spei ad Nobiliss. & Amplissimos horti Curatores misit Nobilissimus ejusdem Promontorii Gubernator.

Aloe Africana foliis glaucis margine & dorsi parte superiore spinosis, flore rubro.

CApite duodecimo alterius partis horti Amstelædamensis hanc Aloen sed juniorem, nulloque flore ornatam inveniet Lector, quæ quum jam adultior sit floresque produxerit copiosos, eam post nostra præludia cum aliis Aloes speciebus describere volui, ut ex perfectiore tum icone tum descriptione ejus vera facies lectori pateret.

Radice fibrosa folia plurima in orbem posita sustentantur pedem longa, crassa, succulenta, glauca & ex latiori basi in mucronem acutissimum exeuntia, utraque foliorum margo & dorsi pars superior spinis subflavis plerumque armantur. Ipso Septembri aut Octobri singulis annis scapum producit sesqui pedem altum, viridem, foliolis aliquot non succulentis ei adnascentibus, circa caulis summitatem flores producuntur plurimi, qui clausi eriguntur in pediculo unciali, & flavescunt, aperti ex eodem pediculo dependent & rubent, monopetali sunt omnes, duas uncias longi, in sex profundissimas lacinias divisi, atque adeo ut sex petalis constare videantur; stylum habent hi flores albicantem, & stamina sex apicibus nonnihil rubentibus prædita; semina hactenus perfecit nulla.

Succus hujus plantæ viscosus & dulcis est.

Aloe Africana glabro folio minutissimis cavitatibus donato.

RAdix parva fibrosa & albicans folia sustentat plurima cruciatim quasi posita, succulenta, viridia, angusta mucronata & quatuor uncias vix longa, folia hæc undique cavitatibus minutissimis, quasi totidem forent puncta, prædita sunt & notantur.

Flores hactenus nec semina produxit ulla.

Semina hujus plantæ Anno millesimo septingentesimo primo ad Amplissimos hujus horti Curatores transmissa sunt.

Succus aqueus est & nonnihil acidus.

Aloe Africana humilis spinis inermibus & verrucis obsita.

RAdices hujus Aloes fibrosæ sunt & albicant, e quibus folia producuntur multa, quatuor uncias longa, succulenta & glauca, quæ ab utraque parte verrucis & spinis inermibus, hoc est, vix pungentibus, obducuntur, & in mucronem versus plantæ medium reflexum exeunt. Succus hujus Aloes saporem exhibet primo nonnihil amaricantem, sed mox dulcem.

Hanc Aloen cum sequente Arachnoidea ex Africa ab Illustrissimo Gubernatore transmissam accepi annis 1701 & 1702.

Aloe Africana humilis arachnoidea.

RAdicibus ſuſtentatur hæc Aloe fibroſis & albicantibus, folia multa in orbem poſita his innaſcuntur, duas uncias cum media longa ex baſi anguſtiore in ventrem excreſcunt unciam latum, & in mucronem acutum & diaphanum exeunt, ſucco inſipido plena ſunt & viridia, in utraque margine & dorſi medio ſpinis armantur albis & inermibus, hoc eſt non rigidis ſed flexibilibus. Ipſa æſtate ſcapus producitur pro planta adultiore plus minuſve longus, vidi enim qui vix pedis, & alios, qui duorum cum medio pedum altitudinem ſuperabant, ſcapus quo brevior aut longior, eo etiam eſt vel tenuior aut craſſior, paucioribus vel pluribus ornatur floſculis hexapetaloideis & ſubviridibus, qui intus linea per petalorum longitudinem ducta rubra notantur; ſemina hactenus produxit nulla.

Aloe Africana humilis foliis ex albo & viridi variegatis.

RAdix huic plantæ alba multiſque prædita eſt geniculis, facile novas plantas producens, ex his folia producuntur quatuor unciis longiora, ſucculenta, craſſa, rigida & in acumen triangulare exeuntia, ubique hæc folia viridia maculis nunc parvis, nunc magnis & albicantibus notantur, foliorum margines & dorſum linea albicante & ſcabra obducuntur. Foliorum ſuccus ſubdulcis.

Facile propagatur hæc Aloe plantis junioribus ſatis frequenter ex ipſa radice continuo pullulantibus.

Semina hujus plantæ plana & alata ex Africa Anno 1700 tranſmiſſa ſunt.

Aloe Africana humilis folio nonnihil reflexo, floribus ex albo & rubro variegatis.

HAnc Aloen anno 1701 cum aliis Aloes ſpeciebus ad Nobiliſſ. & Ampliſſimos hujus horti Curatores miſit vir Nobiliſſimus Wilhelmus Adrianus vander Stel Promontorii Bonæ Spei Gubernator.

Radicem habet fibroſam extus fuſcam intus albicantem, folia ex hac in orbem poſita producuntur, quæ terram verſus reflectuntur, & venis ſatis conſpicuis per longitudinem ductis gaudent, craſſa ſunt, ſucculenta, utraque margine ſcabra, & in mucronem exeunt; ſcapus, qui ex plantæ medio prodit, tenuis, duos pedes altus autumno prodit, & flores gerit monopetalos in ſex lacinias reflexas diviſos, & ex albo & rubro variegatos.

Succus hujus Aloes aquoſus & inſipidus.

Aloe Africana humilis folio in summitate triangulari & rigidissimo, marginibus albicantibus.

HÆc Aloe cum præcedente anno millesimo septingentesimo ex Africa in hortum translata est.

Folia aliquot in orbem posita radice sustentantur albicante & fibrosa, quæ folia viridia, rigidissima & crassa sunt, trium unciarum longitudinem, sesqui latitudinem habent, in summitatem mucronatam & triangularem exeunt, & utraque margine albicant. Succus hujus Aloes insipidus & aquosus.

Hactenus flores nec semina in horto medico perfecit.

Aloe Africana erecta triangularis & triangulari folio viscoso.

FIbrosæ sunt hujus plantæ radices, quæ nonnihil rubent, ex his folia producuntur parva, triangularia, viridia, viscosa & insipida, quæ in parte supina parum excavantur, prona eminent, & in mucronem satis rigidum terminantur, hæc folia ita posita sunt & alterum ex alterius principio quasi nascitur, ut tota planta triangularis sit, quæ vix quatuor unciarum altitudinem habet & bis anno 1702 in horto medico floruit, scapus, qui florendi tempor e plantæ medio producitur, tenuis est, quatuordecim unciarum altitudinem superat & cum viriditate quadam rubescit, circa hujus summitatem ex longo intervallo flores apparent pauci & parvi, qui cum rubedine quadam albescunt, sunt monopetali & in sex lacinias dividuntur: semina hactenus nulla produxit, sed per plantas juniores ex ipsis radicibus pullulantes propagari potest.

Annis 1701 & 1702 hanc ex Africa accepi.

Aloe

Aloe Africana erecta rotunda folio parvo & in acumen rigidissimum exeunte.

EX radicibus fibrosis nonnihil rubentibus folia producuntur parva, crassa & viridia, quæ in mucronem acutissimum, rigidissimum & nonnihil rubentem terminantur, folia hæc confertim admodum nascuntur & invicem incumbunt, ut caulis videri possit nullus.

Altitudinem planta hæc quinque unciarum superat; flores aut semina produxit nulla.

Succus aquosus est & in insipidus.

Plantam hanc cum Aloe Americana juccæ foliis arborescente, aliisque rarioribus exoticis, ut pagina 64. jam ante dixi, horto donavit Vir Nobilissimus Daniel des Marets.

Aloe Guineensis radice geniculata, foliis è viridi & atro undulatim variegatis.

PLantam hanc capite vigesimo alterius partis horti Amstelædamensis descripsi, quo tempore in horto medico flores produxerat nullos, flores tamen descripsi tales, quales illam producere mihi scripserat, atque etiam in catalogo instructissimo horti Beaumontiani hanc designans habere dixerat Clar. Kiggelarius, dum vero hæc præterita æstate floreret, inveni illos ab hac descriptione quam longissime diversos, quare hanc de novo cum florum descriptione exacta exhibere volui: clarissimum Virum forte decepit scapus non genuinus pro vero tamen illi obtrusus.

Radice nutritur hæc Aloe longa, crassa, multis geniculis inæquali, vix infra tellurem transversa seu obliqua hærente, quæ intus alba & subdulcis cortice tegitur flavo & tenui, ipsi radici a parte inferiore adnascuntur fibræ albicantes. Folia ex ipsa radice assurgunt primo chartaceorum cucullorum in morem circumvoluta,

luta, quæ tandem explicata, pedalia & ſeſqui pedalia, tres uncias lata & in mucronem inermem exeunt, ab utraque parte nunc læta nunc atra viriditate undulatim pinguntur, margine circumſcribuntur ſubrubro, & ſaporem habent Salſum.

Flores, quos menſe Auguſto anni 1702. produxit in horto medico, ſcapo ſuſtentabantur bipedali, rotundo & e viridi purpuraſcenti, erant plurimi, albicantes, monopetali, tubuloſi & in ſex profundas & reflexas lacinias diviſi, florum meditullium præter ſtylum nutritivum occupabant ſtamina ſex albicantia, apicibus tranſverſim incumbentibus prædita, qui ipſo autumno abſque ſeminis perfectione perierunt omnes.

Propagatur facillime ex ipſa ſerpente radice.

F I N I S.

Ad-

Admonitio ad Bibliopegum.

In hoc libro icones agglutinandæ sunt chartarum laciniis, eadem prorsus ratione ac fieri solet in tabulis Geographicis, singulæ autem inserantnr suis locis, ut hic ordine notantur.

Berigt aan de Boekbinders.

In dit Boek moeten de Figuuren aan strooken geplakt worden, als men in de Kaarte-boeken gewoon is te doen, en dat op de volgende folien.

Icon		Inseratur		Pag:	Icon		Inseratur		Pag:
prima	—	—	—	51					
2	—	—	—	52	18	—	—	—	69
3	—	—	—	53	19	—	—	—	70
4	—	—	—	54	20	—	—	—	71
5	—	—	—	55	21	—	—	—	72
6	—	—	—	56	22	—	—	—	73
7	—	—	—	57	23	—	—	—	74
8	—	—	—	58	24	—	—	—	75
9	—	—	—	59	25	—	—	—	76
10	—	—	—	60	26	—	—	—	77
11	—	—	—	61	27	—	—	—	78
12	—	—	—	62	28	—	—	—	79
13	—	—	—	63	29	—	—	—	80
14	—	—	—	64	30	—	—	—	81
15	—	—	—	65	31	—	—	—	82
16	—	—	—	67	32	—	—	—	83
17	—	—	—	68	33	—	—	—	84

SPIRÆA AFRICANA FOLIIS CRUCIATIM POSITIS *Fig. 1.*

GERANIUM AFRIC: ARBOR: ALCHIMILLÆ FOLIO, FLOR: RUB. *Fig: 1.*

SPIRÆA AFRIC: ODORATISSIMA FLOR: SUAVE RUBENT. *Fig. 2.*

GERANIUM AFRIC: ASARI ET STAPHISAG: FOLIO. *Fig: 2.*

SPIRÆA AFRIC: ODORATA FOLIIS PILOSIS. *Fig. 3.*

GERANIUM AFRIC: ASTRAGALI FOLIO. *Fig: 3.*

MELIANTHUS AFRIC: MINOR FŒTIDUS. *Fig. 4.*

GERANIUM AFRIC: FRUTESC: FOL: GLAUC: ACETOSÆ SAPORE. *Fig: 4.*

JASMINUM AFRICANUM FOLIIS SOLITARIIS. *Fig. 5.*

TITHYMALUS AIZ: ARBOR CAUDICE ANGUL: NERII FOL: Fig: 6.

JASMINUM AFRICANUM ILICIS FOLIO. *Fig. 6.*

TITHYMALUS AIZOIDES TRIANGULARIS ET QUADRANGULARIS Fig. 5.

KETMIA AFRIC: VESIC: UVÆ CRISPÆ FOLIIS. *Fig. 7.*

TITHYMALUS AIZ: AFRIC: SIMPL: SQUAMATO CAULE. *Fig. 1.*

CENTAURIUM MINUS AFRIC: ARBORESCENS. *Fig. 8.*

TITHYMALUS AFRIC: SIMPL: SQUAMAT: CAULE CHAMÆNERII *Fig. 8.*

CENTAURIUM MINUS AFRIC: ARBORESCENS PULPIFERUM. *Fig. 9.*

TITHYMALUS AFRIC: AIZ: SPINIS VALIDISSIMIS ARMATO. *Fig. 9.*

FABAGO AFRIC: ARBORESCENS FLORE SULPHUREO. *Fig. 10.*

TITHYMALUS AMERICANUS FLOSCULIS ALBIS. *Fig. 10.*

COLUTEA AFRIC: SENNÆ FOLIIS, FLORE SANGUINEO. *Fig. 11.*

ALATERNOIDES AFRIC: LAURI SERRATÆ FOLIO. *Figu.*

ALATERNOIDES AFRIC: CHAMÆMESPILI FOLIO. *Fig: 12.*

COLUTEA AFRICANA HUMILIS FLORE SANGUINEO. *Fig. 12.*

CYTISUS AFRICAN, HERBACEUS, FLORIBUS RUBRIS. *Fig. 13.*

ALATERNOIDES AFRC: RORIS MARINI LATIORI FOLIO. *Fig. 12.*

ALOE AMERIC: JUCCÆ FOLIIS ARBORESC: Fig: 14.

LILIO-ASPHODELUS AMERIC: SEMPERVIRENS MAXIMUS. *Fig. 14.*

ALOE AMERICANA POLYGONA. Fig. 4

LILIO ASPHODELUS AMERIC: SEMPERVIRENS MINOR. *Fig. 15.*


ALOE AMERIC: DRACONIS FOLIO SERRATO. Fig: 16.

APOCYNUM AFRIC: LAPATHI FOLIO. *Fig. 16.*

APOCYNUM AFRIC: SUBHIRSUTUM FOL: UNDULATIS. *Fig. 17.*

ALOE AFRIC: CAULESC: FOLIIS MAGIS GLAUCIS CAUL: AMPL. *Fig. 17.*

APOCYNUM SCANDENS AFRIC: VINC: PERVINCÆ FOL: SUBINCANUM. F. 18.

P. S. Sculp.

ALOE AFRIC: CAULESC: FOL: MINUS GLAUC: CAULEM AMPLECT. *Fig. 18.*

ASCLEPIAS AFRIC: AIZOIDES, FLORE PULCRE FIMBRIATO. *Fig. 19.*

ALOE AFRIC: CAULESc; FOL: GLAUC: CAULEM AMPLECT: SPINOS Fig. 19

ARUM AMERIC: MACULAT: CAULIC: FUSCIS ET VIRIDIBUS. *Fig. 20.*

P. S. sculp.

ALOE AFRIC: CAUL: FOL: GLAUC: CAULEM AMPLECT: DORSO SPINOS. Fig. 20

QUAMOCLIT AMERICANA HEDERÆ FOLIO. *Fig. 21.*

ALOE AFRIC: CAUL: FOL: GLAUSIS CAUL: AMPLECT: BREVIORIB: *Fig. 21.*

MOMORDICA AMERICANA FRUCTU RETICULATO SICCO. *Fig. 22.*

ALOE AFRIC: CAUL: FOL: GLAUC: BREVISS:. *Fig. 22.*

COTYLEDON AFRIC: FRUTESC FOLIO LONGO ET ANGUSTO. *Fig. 23.*

ALOE AFRIC: CAULESC: PERFOLIATA. *Fig: 23.*

COTYLEDON AFRIC: FRUTESC: FLORE UMBEL: COCCINEO. *Fig. 24.*

ALOE AFR FOL GLAUCIS MARGINE ET DORSI PARTE SUP SPIN. Fig. 24.

TEUCRIUM OR: ANGUSTIFOL: LACINIATUM. Fig. 25.

ALOE AFRIC: GLAB: FOLIO MINUTISSIM: CAVITATIB: NOTATO. *Fig. 25.*

LAMIUM ORIENT: FOLIIS ELEGANTER LACINIATIS. *Fig. 26.*

ALOE AFRIC: HUMILIS SPIN: ET VERRUCIS OBSITA *Fig: 26:*

LAVENDULA TENUIUS ET ELEGANTIUS DISSECTA. *Fig. 27.*

ALOE HUMILIS AFRICANA ARACHNOIDEA . *Fig. 27.*

MOLDAVICA OR: BETONICÆ FOL: FLORE VIOLACEO. *Fig.* 28.

ALOE AFRIC: HUMILIS FOL: EX ALBO ET VIRIDI VARIEGAT.° *Fig: 28.*

MOLDAVICA ORIENT: MINIMA OCYMI FOLIO. *Fig. 29.*

ALOE AFRIC: HUMILIS FOL: NON NIHIL REFLEXO. *Fig: 29.*

CASSIDA OR: INCANA FOLIIS LACINIATIS. *Fig. 30.*

ALOE AFRIC: HUMILIS FOL: TRIANGULARI RIGIDO ALBICANTE Fig 30

CYNOGLOSSUM OR: FRUCTU UMBILICATO CRISTATO. *Fig. 31.*

ALOE AFRIC: ERECTA TRIANGULARIS ET VISCOSA Fig: 31.

LINARIA OR: LILII PERSICI FOLIIS SPICA PYRAMIDATA. *Fig. 32.*

P. J. Sculp.

ALOE AFRIC: ERECTA ROTUNDA FOL: ACUMINATO. *Fig: 32.*

LYSIMACHIA OR: ANGUSTIF: FLORE PURPUREO. Fig. 33

ALOE GUINEENSIS RADICE GENICULATA FOL: VARIEGATO. Fig. 33.

ANEMONOSPERMOS AFR: FOL: PLANTAGNIS FLORE SULPH: *Fig. 35.*

P.S. Sculp

PAPAVER OR: HIRSUTISSIMUM FLORE MAGNO. Fig. 34.

ANEMONOSPERMOS AFRIC: JACOBÆÆ MARIT: FOLIIS. *Fig. 36.*

ELICHRYSUM AFR: TOMENTOSUM FRUT: CALYCE ARGENTEO. Fig. 37.

ELICHRYSUM AFR: TOMENTOSUM FRUT: CALYCE AUREO. *Fig. 38.*

CENTAURIUM MAJUS ORIENT: GLASTI FOLIO. *Fig. 39.*

SENECIO AFR: ARBORESC: FICOIDIS FOLIO ET FACIE. Fig. 40.

COMA AUREA AFRIC: FRUTIC: FOLIIS INCISIS ET DENTATIS. *Fig.* 41.

JACOBÆA AFRICANA FRUTESC: FOLIIS INCISIS. *Fig. 42.*

P. S. Sculp.

PERSICARIA OR: NICOTIANÆ FOL: CAL: FLOR: PURPUR. *Fig. 43.*

ALOE AFRIC: CAULESC: FOLIIS MAGIS GLAUCIS CAUL: AMPL. Fig: 44

ALOE AFRIC: CAUL: FOL: GLAUSIS CAUL: AMPLECT: BREVIORIB: Fig: 45.



ALOE AFRIC: HUMILIS SPIN: ET VERRUCIS OBSITA. *Fig: 46.*

ALOE AFRIC: HUMILIS FOL: EX ALBO ET VIRIDI VARIEGAT.° Fig. 47.

ALOE AFRIC: HUMILIS FOL: TRIANGULARI RIGIDO ALBICANTE Fig. 48.

lith. prav. 8

4

2 weeks in 1869

Not sentencerkand

48 pieces

Not Invoice 33 pieces

NB

a. —